PARAENESIS
AD
SCOTOS,
Geneuenſis Diſciplinæ Zelotas.

Autore

DAN. TILENO Sileſio.

LONDINI
Typis Gul. Stansby, pro Nathaniele Butterо.
CIↃ. CI. C. XX.

PARÆNESIS AD SCOTOS, GENEVENSIS DISCIPLINÆ ZELOTAS.

CAP. I.

Præfatio.

QVæ olim gentes, ex recepta consuetudine, ægrotos suos in publicum productos promiscuis vulgi oculis exponebant, non ea tantùm spe, opinor, id agebant, vt certam ac exploratam singuli recuperarent sanitatem, exquisitis prætereuntium sententijs, quo quis consilio, remedióue, in ijsdem vel consimilibus morbis vsus, meliusculè habuisset: verumetiam vt quorum insuperabile, penitusque indomitum erat malum, illi discerent ecqua victûs ratione mitigari, commodiusq; tolerari posset, quod pharmacis expugnari ac profligari nequiret. Ecclesiæ à Domino peregrinantis, & in hoc mundo militantis membra omnia, varijs vt mutationum vicibus, sic & spiritualium morborum periodis ac paroxysmis obnoxia esse,

nemo cùm neget, in genere ſi quis id quærat; plerique tamen in peruidendis intercutibus malis horrendo ſcotomate percuſſi cæcutiunt, adeóque qui non modò parùm rectè valent, ſed cum illo Sardium Eccleſiæ Angelo, (*Apoc.* 3. 1.) ne viuunt quidem; athleticum robur, gladiatorios lacertos, ſumma cum coloris & formæ elegantiâ habent. Hi cùm de accerſendis aut conſulendis medicis ne per ſomnium quidem cogitent: ſuadet tamen Chriſtiana charitas, vel inuitis miſcere ac propinare aliquod catharticum, atque vt loquitur Hieronymus, etiam reluctantes Hippocratis vinculo alligare. Vix vlla vnquam tam fœda exſtitit hæreſis, quæ non puræ putæ veritatis titulo elata & inflata ſuperbierit: neque aliter res habet in regimine Eccleſiaſtico, ſeu diſciplina, quæ doctrinæ vel ſoboles, vel ſoror natu minor non ineptè dici poteſt. Quod de fratrum quodam pari narrat ille Medicorum Princeps, tantam fuiſſe temperamenti, morum, humorumq; in vtroque ſimilitudinem, vt ægrotare ac conualeſcere ſimul inciperent, ac deſinerent: id in gemellis illis ſororibus videre eſt: ſimul valent ac languent; altera ab alterius habitu & ſpiritum & colorem ducit. At quando non eadem eſt indoles ac ratio morborum qui naturale hominis, & qui myſticum Eccleſiæ corpus infeſtant: (ex illis enim multi faciles cognitu, difficiles curatu; in iſtis cognitio ſæpe, quàm curatio operoſior:) ſaltem hactenus benè res habet quod de morbo ac canone, vnde iudicium de morbis iſtis, ſiue doctrinam, ſiue diſciplinam labefactantibus, faciendum; optimè

timè inter nos conuenit, ipſiq; fratres Scoti, quorum in ſpem gratiæ ſuſcepta à nobis hæc ſcriptiuncula, non alijs quàm Sanctuarij ponderibus totum hoc negotium expendendum, neque alijs pharmacis quàm ſacra illa panacea, in horum morborum curatione vtendum eſſe dictitant. Præterea ſi rectè olim apud Ægyptios non vnus idemq; omnibus morbis, ſed cuique peculiaris ac deſtinatus adhibebatur medicus; iſque cæteris peritior ac felicior quoq; exiſtimabatur qui ipſe, eo quem curandum ſuſceperat, morbo aliquando laboraſſet; equidem confido, non prorſus infrugiferam fore operam noſtram, ſi qua ratione graſſantem in meis viſceribus luem depulerim tandem atque eliſerim; fratribus Scotis, eâ laborantibus commonſtrem ac communicem; vt vel ſanati, non Æſculapio Gallum, ſed Iehouæ liberatori poculum ſalutis exhibeant: vel ſi qui familiare cacoëthes ſuum amare, quàm ſanare; fouere, quàm noſcere malunt; ſaltem erga ſanos ac ſobrios minùs morosè ſe gerant, & qui hactenus alios ſecum effaſcinare atque efferare conſueuerunt, mitiores ſe poſthac præbeant benè monentibus; cumque τὸ νοσοζοφεῖν eos delectet, ciues ſuos ac populares ζοτοφορεῖν ne recuſent. Ego igitur cùm in illo Geneuenſis diſciplinæ valetudinario nimis diù verſatus epidemicum morbum ex parte agnitum, accuratiùs pernoſcere omnéſque eius fibras euellere occœpiſſem, qui credula ſimplicitate antea nefas putaram, quicquam eorum quæ ex illis adytis promanaſſent, ad calculos vocare; tandem aliquando aurem vellente Numine,

excusso veterno expergefactus, ac seruitutem hanc, non fidem ratus; duo deprehendi, quorum alterum cùm Scriptura commendet; alterum, ignoret; demiratus sum, fratres Scoti, illud vobis summè inuisum, istud impensè charum esse. Prius illud est Episcoporum ordo & supra Presbyteros ὑπεροχὴ, cuius vos in Scriptura neque volam neque vestigium videre asseritis: posterius istud est Laicorum Presbyterorum institutio, quam in Scriptura dilucidè & plusquam vncialibus literis expressam videre vobis videmini; ne quis dubitet, vtraque cæcitatis specie vos laborare, dum & quod est, non videtis; & quod non est, videre vos putatis. Sed bene habet, quòd collyria, vtrumq; scotoma persanare idonea, non vobis minùs, quàm Laodicenæ Ecclesiæ Angelo obuia sunt & exposita; modò quod huic datum est consilium, ad vos quoque pertinere cogitetis. Illa ego meis illita oculis, saluberrima expertus cùm fuerim, qua id fecerim ratione ac modo; tam propensa alacriq; voluntate à me expromi & exponi, quàm æquis auribus animisq; id à vobis accipi par est.

CAP. II.

Distinctio Ministrorum sub legis Oeconomia.

PRincipio πολυθρύλλητον illud de Ministrorum Ecclesiæ ἰσονομίᾳ & æqualitate placitum, crebriùs & celebriùs inter Geneuenses Magistros iactari, quàm probari animaduerti: quippe cuius praxis

praxis neque à Moſe ſub legis Oeconomia, neque ſub Euangelij gratia à Chriſto fuerit inſtituta: Illic in vno eodemq; Sacerdotio diſpares & inæquales Sacerdotum & Leuitarum; hic verbi præconum gradus conſtitutos videmus apertiſſimè, ſi cæci eſſe nolumus. Illic non modò Sacerdotes ſupra Leuitas eminebant, ſed inter ipſos quoque Sacerdotes varij erant gradus & ordines: In ſummo Sacerdote ſeu Pontifice, non typi ſolum, ſed ἐυταξίας quoque ratio conſpicua: neque enim ille typum geſſit Chriſti reſpectu Regiæ & Iudiciariæ poteſtatis, quam habet Chriſtus; qui alioqui tam ſecundùm ordinem Aaronis, quàm ſecundùm ordinem Melchiſedeci, Regis & Sacerdotis dignitatem habuiſſet. Præterea qui in veteri Teſtamento Patres & capita Sacerdotum; in nouo ἀρχιερεῖς, Sacerdotum Principes appellantur, in 24 τάγματα à Dauide diſtributi (מחלקות משמרת בקורח vocant Hebræi, Graeci διαιρέσεις, ἐπισκέψεις, κλήρους, ἐφημερίας:) vt videlicet ſingulæ familiæ certis hebdomadum vicibus miniſterium obirent: hi omnes non ſolùm ordine, ſed etiam poteſtate inferioribus Sacerdotibus erant ſuperiores. Eſt igitur omni luce clarius, omni probatione notius, noluiſſe Deum priſcam Iſraelitarum Eccleſiam ab omnibus Sacerdotibus ac Leuitis, pari inter ſe autoritatis gradu præditis, gubernari; ſed alijs imperandi auctoritatem dediſſe, alijs parendi neceſſitatem impoſuiſſe, non minùs in Eccleſiæ, quàm in Reipublicæ regimine. Vide *Num.* 3. 1. *Chron.* 23, & 24. *Nehem.* 11. 22.

CAP.

CAP. III.

Distinctio Ministrorum Euangelij.

IAm verò non minùs clarum, notumque, Christum in nouo fœdere alios dedisse Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas; alios Pastores & Doctores. Agnoscitis mecum, opinor, fratres Scoti, graduum non minùs, quàm donorum disparitatem. Verùm excipitis; extraordinarias functiones ac temporarias, cum ordinarijs ac perpetuis perperam à me misceri ac confundi. Apostolum igitur audite docentem, quorsum ista munia ac gradus à Christo instituti, in quem finem referendi, quam diu retinendi, quando desituri: sic ille: *Ad instaurationem Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi: donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum; ad mensuram staturæ adulti Christi, vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ*, &c. *Ephes.* 4. 12, 13, 14. In altero demùm seculo id futurum testatur ipsemet Beza disciplinæ vestræ si non conditor, saltem instaurator & assertor acerrimus. Quantisper igitur in hoc seculo versatur Ecclesia, sicuti Sanctorum καταρτισμῷ, operi ministerij, ædificationi corporis mystici; ita & muneribus illis, diuersisq; munerum gradibus locus est: planè vt in seculari militia penes vnum quidem est summum imperium ac potestas ἀυτοκρατορική: sub eo autem Legati, Tribuni, Centuriones, hisq; adiuncti Optiones, suum quisque ordinem ducit, nec vnquam in alterius

terius præfecturam inuolat. Num à ſolis ſacræ militiæ caſtris exulabit τάξις, quæ, vt ait Nazianz. (de moder. in diſp. ſeru.) μήτηρ τῆς ὅλων ἕξεως καὶ ἀσφάλεια; Rurſus audite Paulum: *Num omnes Apoſtoli? num omnes Prophetæ? num omnes Doctores?* (1. *Cor.* 12. 29.) Eſt igitur totius quidem σωμάτος, myſticiq; corporis, τὸ κῦρος καὶ τὸ κράτος ac ſumma poteſtas penes ſolum Chriſtum, vnicum illud Caput, quod Pater cœleſtis huius corporis molitor & architectus ex carne & oſſibus noſtris concinnatum, ei impoſuit: Cæteri verò ab hoc Imperatore delecti τάξιάρχοι, ijs, quibus ei viſum eſt, gradibus inter ſe diſtincti ſunt: adeo vt non minùs Apoſtolus Prophetæ; Propheta Euangeliſtæ; hic Paſtore vel Presbytero; Presbyter Diacono; Diaconus Priuato, ſiue Laico præſtet; quàm Legatus Tribunum; Tribunus Centurionem; hic Optionem; iſte gregarium militem dignitate & poteſtate antecellit.

CAP. IIII.

Functionis ordinariæ & extraordinariæ diſtinctio.

NVm igitur, dicetis, ſuperſtites adhuc, aut ex ἄνω reduces habemus Apoſtolos, Prophetas aut Euangeliſtas? aut Epiſcopi etiam τῆς τυχόντος, ordinatio vel conſecratio, eiuſdem prorſus notæ Legatos ac Tribunos Chriſti nobis exhibebit, quos non niſi ab ipſo militiæ huius Imperatore Chriſto ἀμέσως, vt vocari, neceſſarijſq; donis

donis instrui; sic & copijs suis præfici posse, persuasum habemus: Sic igitur habetote: In functionibus, quas extraordinarias ac temporarias fuisse pertenditis, nos quidem multa extraordinaria ac temporaria vobiscum agnoscimus; ipsas autem functiones, ἰσοτιμῶς acceptas, non nisi ad brevissimum illud tempus, quo Apostoli in carne vixerunt, institutas fuisse, falsissimum est. Fuerunt sanè illi à Christo immediatè vocati, missique, testes eius αὐτόπται, nullis certis finibus circumscripti, sed ad vniuersum terrarum orbem obeundum, præconijq; sui luce collustrandum destinati, à Spiritu Sancto ità eruditi, ac gubernati, vt in excitando spirituali Ecclesiæ ædificio, nihil nisi purum putum aurum, vel in fundamento ponerent, vel in parietibus ac tecto superstruerent. Fuerunt hæc in Ecclesiæ primordijs, inchoando operi, & tum conuertendis infidelibus, tum confirmandis fidelibus, gliscente hostium Euangelij rabie & immanitate, planè necessaria charismata, quibus accesserunt & alia, miraculorum, sanationum, linguarum, rerum occultissimarum intelligentia, futurarum prædictio, &c. sed hæc alijs quoque concessa, Apostolorum non fuerunt propria. Postea verò constitutis Ecclesijs, circumlatóq; per orbem euangelismo, dona illa continuari ac perennare, necesse non fuit, cum & tabulæ fidei præsto essent, ad doctrinæ, ipsiusq; etiam Christo probatæ disciplinæ declarationem, & miraculis olim editis, vtraque etiam hodiè obsignetur: ipsas autem Apostolici muneris partes essentiales, quæ in verbi prædicatione, Sacramentorum

torum administratione, & disciplinæ gubernatione spectantur; non magis quàm ipsam Christi Ecclesiam euanescere aut aboleri oportuit. Ne vos quidem, fratres Scoti, graduum inæqualitatem inter Pastores, in verbo laborantes & Presbyteros, morum Præfectos; inter hos, & Diaconos pauperum curam gerentes, negare sustinetis; hoc vnum ferre non potestis, vt Pastor Pastori, Presbyter Presbytero præstet aut præsit: Quasi cùm Paulus Timotheo, Petrus (συμπρεσβύτερον se vocans) alijs Presbyteris mandata dedit; ille Pastor, iste Presbyter esse desijsset: aut quod priscis Ecclesiæ temporibus, aureoq; illo Apostolorum æuo diuini fuit institituti; hodiè pro humano, aut etiam satanico habendum esset commento: aut denique ipsi Episcopomastiges satis inter se conuenirent, dum potestatis clauem, cuius in excludendis contumacibus, & ordinandis Ecclesiæ Ministris vsus est; alij vniuerso cætui; alij Senatui aut Presbyterio ex Pastoribus & Laicis Senioribus constituto; alij solis Pastoribus & Doctoribus, sed æquè omnibus citra cujusquam ὑπεροχὴν; alij Pastoribus quidem, non tamen omnibus, sed quibusdam ætate solùm vel eruditione ac prudentiâ; non potestate ac gradu superioribus, attribuendam esse sciscunt: super hoc negotio magna animorum contentione & acerbitate in Gallicis ac Belgicis Ecclesijs ante aliquot annos dimicatum fuisse, compertum cùm haberem, suspicatus sum fieri posse, vt non protinus melior sit sententia, quæ tandem, vt potior, in illis, quas dixi, Ecclesijs, ab Episcopali regimine

mine abhorrentibus, obtinuit; frequentérq; vſu venire, vt vbi numerantur, non ponderantur ſuffragia, maior pars vincat meliorem: quocirca ſubductâ ex iſto diſcrepantium & aduerſis frontibus pugnantium opinionum Euripo, cymbâ meâ, totáq; velificatione ad veritatis in Scriptura lucentis, Cynoſuram directâ; adhibitis etiam in conſilium doctiſſimorum virorum, qui in Britannia hoc argumentum tractarunt, ſcriptis, quæ Geneuenſis diſciplinæ faſcino captis attingere, religio eſt: deprehendi tandem, (Deo ſit gratia) manifeſta verbi Diuini auctoritate & praxi Apoſtolica niti, quod antehac, Magiſtrorum fidem ſequutus, non niſi ab humano inſtituto ortum habere exiſtimaueram. Perſpexi Soſthenem, Siluanum, Timotheum, Titum, Tychicum, Creſcentem, Lucam, Io. Marcum, & ſi qui præterea tales; à Paulo ad Eccleſiæ miniſterium proximè vocatos, ac tum gregibus, tum pluribus gregum Paſtoribus præpoſitos, eumpſe, quem ex germana illa Antiquitate retinuerunt Angli, Epiſcopatum geſſiſſe, acceptamq; à Paulo poteſtatem, non tantùm ad tempus vſurpaſſe, ſed ad poſteros quoque tranſmiſiſſe, adeo vt quàm neceſſarium eſt Eccleſiæ, verbi & Sacramentorum miniſterium; tam ſit in hoc miniſterio perpetuum ius illud ac poteſtas inſtituendi Miniſtros, non minùs gradibus, quàm dotibus inter ſe diuerſos: ita vt gradu ſuperiores, pluribuſq; Eccleſijs præfecti, iudicent de inferioribus, vnum duntaxat gregem paſcentibus; inſtitutaſq; contra hos accuſationes, vel admittant vel repellant; legitimè con-

conuictos palàm arguant; nemini citò manus imponant; nihil partium ſtudio aut χάριτι προκλίσεως, omnia χωρὶς προκρίματος, ſanctè ac religiosè adminiſtrent, (1. *Timot.* 5. 19, 20, 21, 22.) Temporarias in Eccleſia has functiones eſſe qui ſtatuit, ipſam Eccleſiam temporum vicibus tandem euertendam ac peſſundandam putat.

CAP. V.

An Timotheus & Titus fuerint Euangeliſtæ.

CÆterum quod mihi à Geneuenſibus Magiſtris perſuaſo viſum; id vobis quoque in eodem ludo edoctis & eductis, videri, non miror. Hariolati ſunt illi Timotheum, Titum & reliquos illos Pauli συνεργοὺς, Euangeliſtas fuiſſe. Ruenti hariolationi adhibetur fultura ex loco, 2. *Tim.* 4. *verſ.* 5. vbi Timotheus iubetur peragere opus Euangeliſtæ. Poterat non abſimili ſuffragatione, etiam in Apoſtolorum collegium cooptari Timotheus ex loco, 1. *Cor.* 16. 10. Vbi ille dicitur opus Domini operari, ſicut Paulus Apoſtolus. Cùm eam, qua antehac laboraui, μετανοίαν καὶ ἀβλεψίαν recordor, veſtram, fratres Scoti, aliorumq; in eodem luto hærentium, minùs miror, minùs inſector ſupinitatem & oſcitantiam: Eſt ea tamen in vobis, ſicuti & in me fuit, plane ἀπροαίρετος. Euangeliſtas propriè ac ſtrictè acceptos, conſtat ex authenticis N. T. tabulis, à Chriſto non minus immediatè vocatos fuiſſe, quàm ipſi fuerunt

Apoſtoli.

Apoſtoli. Timotheum verò, diſcipulus cum eſſet, fratrum, qui Lyſtris & Iconij erant, teſtimonio ornatum, & à Paulo ad miniſterium verbi adſcitum fuiſſe, legimus extertè (*Act.16. verſ.1.3.*) Presbyterium de quo 1.*Tim.*4. 14. ſiue cætum ac collegium Presbyterorum ſignificet, vt vult Beza, ſiue munus à Paulo per manuum impoſitionem demandatum Timotheo, vt vult Caluinus, cui ego aſſentior; nihil ad Euangeliſtam propriè dictum; neque enim quod extraordinarium duntaxat & temporarium eſt munus, ab ordinarijs Eccleſiæ Miniſtris cuiquam poteſt mandari; neq; Presbyter qui ordinatur, idem Euangeliſta, quales fuerunt illi L X X. dici poteſt. Hi enim ab ipſo Domino vocati & inſtituti, hominis non inſtitutionem & præcepta, qualia Timotheus à Paulo non pauca accepit; minimè deſiderant. Proinde ſi à Lyſtricæ Eccleſiæ Presbyteris ordinatus fuit Timotheus, vti autumat Beza; à pluribus Aſiæ Eccleſijs fuit præpoſitus, quibus ſingulis ſingulos dedit Paſtores, quemadmodum Titus Cretenſibus, vti præceperat Paulus; dubitabimus ne adhuc, Paſtorem vnum, idoneis dotibus inſtructum, pluribus, non modò gregibus, ſed etiam Paſtoribus legitimè præponi? pergemuſue ſponte cæcutire in peruidenda illa hypotypoſi Eccleſiaſticæ gubernationis, prout eam ipſe Paulus penicillo ſuo nobis delineauit, exemploq; expreſſit? Num extraordinarij nobis erunt ac temporarij Canones illi in Epiſtolis ad Timotheum & Titum perſcripti? Cur igitur noſtrorum Paſtorum ordinationes ad hanc normam exigimus?

Alia

Alia quoq; occurrit in Geneuenſibus placitis hallucinatio, quòd extraordinarium cum temporario confundunt; quaſi extraordinarium quod eſt, idem temporarium eſſe neceſſe ſit, perpetuum eſſe non poſſit. Atqui vt inauguratio Aaronis ad Sacerdotium, licet extraordinaria, non tamen propterea Aaronis morte fuit finita; ſed principium fuit & fons ſucceſſionis ordinariæ; ſic etiamſi extra ordinem, & ab ipſo Chriſto immediatè vocati fuiſſent Timotheus & Titus, quod falſiſſimum eſſe modò oſtendimus; non tamen hinc efficeretur, plurium Eccleſiarum præfecturam ipſis ſolis cõmiſſam, non item alijs, quibus ipſi acceptam a Paulo, vel etiam a Chriſto lampada tradidiſſent; vel quos Eccleſia in demortuorum locum ſuffeciſſet, committi potuiſſe. Quocirca tam illi, quàm alij plures eiuſdem notæ ab Apoſtolis adſciti συνεργοὶ, in eo quod ordinarium, eſſentiale ac perpetuum habet Apoſtolatus; iure meritò eorum Collegæ dicuntur; ac propterea Paulus in quibuſdam Epiſtolis, modò Soſthenis, modò Siluani, modò Timothei nomen cum ſuo cõiunctum præſcribit: & Epaphroditum quem Philippenſium Epiſcopum fuiſſe, veteres conſtanter aſſeuerant, non modò fratrem & collegam & commilitonem ſuum, ſed etiam illorum Apoſtolum vocat, nempe quem ipſis præfecerat, vt non ſolùm multitudini, ſed etiam Epiſcopis ac Diaconis, id eſt, Paſtoribus ac Presbyteris, (qui illis temporibus promiſcue ac cõmuniter dicebantur Epiſcopi & Presbyteri) præeſſet (*Phil.* 1. 1.) quomodo locum hunc Theodoretus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, alijq; exponunt. Hinc illa Philippenſium

pensium de Epaphrodito, & huius vicissim de illis cura ac sollicitudo (*Phil.*2.25.)

CAP. VI.

Nominum Episcopi & Presbyteri cõmunio & officiorum distinctio in primitiua Ecclesia.

QVæ in Ecclesiæ primordijs inter Episcopos & Presbyteros erat nominum cõmunio, graduum disparitatem non labefactat; locus fuit non solùm communioni nominum, sed etiam æqualitati graduum, inter ipsos, tantisper dum Apostoli, Euangelistæ, eorumq; σωτῆρες, generales quidam fuerunt omnium Ecclesiarum Episcopi. Illis fato functis, & multiplicatis Ecclesijs, opus fuit Episcopis, qui eadem pollerent auctoritate, quam Timotheo ac Tito collatam, in Ecclesiastico regimine continuandam sanxerunt Apostoli. Nam ex ijs quæ Paulum cum istis egisse legimus, colligimus ἀναλόγως, quid hac in re reliqui Apostoli, cum alijs alibi egerint; quamuis ea sigillatim perscripta non sint: Quantulum enim est quod de reliquorum Apostorum actis sacrarum literarum monumentis consignatum habemus? Eos tamen non minùs quàm Paulum de Ecclesiæ propagatione sollicitos, mandatóq; sibi munere perfunctos, Spartam suam ornasse credimus. Fatendum vtique non solùm plantatas ab Apostolis Ecclesias, posterorum ministerio fuisse rigandas & colendas; sed nouas quoque plantandas ac colligendas; ad quarum constitutionem, eadem, qua præditi fuerunt primi, auctoritate

te opus fuit; Vnde patet, quantopere fallantur, ac fallant, qui asserunt, omnem Apostolicam potestatem ac πολιτείαν Apostolorum morte finitam, cum singularibus illis quibus supra cæteros eminuerunt, donis penitus euanuisse. Si non vnius Episcopi auctoritate, sed communi Presbyterorum consilio Ecclesias regi voluit Christus, si non sine tyrannica vsurpatione plures Ecclesiæ, & Pastores vni vnius, siue diœceseos, siue prouinciæ, Pastori vel Præsuli possunt subijci; vnde obtecro tantus ac tam repentinus omnium, quotquot per totum terrarum orbem ab Apostolis collectæ ac constitutæ fuerunt, Ecclesiarum, atque ipsorum etiam Presbyterorum, in tyrannicum hoc regimen consensus? Esse hoc longè antiquissimum institutum, nullúmq; eius certum post Apostolos auctorem & ἀρχηγέτιν nominari posse, ne Magistri quidem vestri diffitentur. Canones qui Apostolorum dicuntur, ab ipsis quidem Apostolis conditi non sunt, vetustissimi tamen sunt: Horum vnus non solùm singularum gentium Episcopos, sed etiam eum qui in quaque gente sit primus, id est, Metropoliten commemorat, eúmq; tanquam caput à cæteris obseruari præcipit. Concilij Antiocheni Canon nonus Apostolicum illum repetit, & luculentiùs exponit, simulq; magni cuiusdam, ex vestris, Magistri, cuius nomini parco, ἀνισορροπίαν prodit, qui illos dignitatum inter Archiepiscopos & Patriarchas gradus, à Nicæni Concilij sanctione arcessit; quasi sanctio eopse quo fit momento, antiqua consuetudo appellari possit, quemadmodum Canon 6. Concilij Nicæni, illam præfecturarum distributionem

nem vocat τὰ ἀρχαῖα ἔθη, antiquos mores, quos confirmat quidem ac porrò vigere vult; at non primùm in Eccleſiam inuehit. Nec omnino diſſimulanda eiuſdem Magiſtri ἀβλεψία, qui Athanaſium eidem Concilio præfuiſſe hariolatur, quem nondum Epiſcopum ſed Diaconum duntaxat & penè adoleſcentem eo tempore fuiſſe norunt qui nondum ære lauantur. In ipſis quoque Cœnobijs Monachorum præfecti ſuos habebant Vicarios & δευτέρους προεσῶτας, ne contingeret ceſſatione τῶ προεσῶτος δημοκρατικόν τι χῆμα μεταλαμβάνειν τὴν ἀδελφότητα, Ne cœtus fratrum acciperet aliquod regimen democraticum, vt teſtatur Baſil. (in Aſcet. quæſt. 45.) Dicant verò quibus hoc vnum eſt turpiſſimum;

Quæ iuuenes didicere, ſenes perdenda fateri,

Quinam fieri potuerit, vt rem, à Chriſto, vt iſti volunt, prohibitam, eoq; nec ab Apoſtolis inſtitutam, & tum Presbyteris, tum Eccleſijs non minùs ingratam, quàm inimica eſt libertati tyrannis; tanto conſenſu atque concentu amplexæ fuerint ὁμοῦ καὶ ἅμα omnes totius terrarum orbis Eccleſiæ, non ſolùm quæ gentis aut linguæ communis inter ſe vinculo erant conſociatæ, ſed etiam quæ maxima locorum intercapedine, linguarum, rituum aliorum, ac morum diſcrepantia diſtantes, ſolius fidei compage inter ſe coagmentatæ coaluerunt? Nemo vnus omnes; neminem vnum omnes fefellerunt. Huius verò inſtituti ſi vnus vel plures fuere auctores, quis non miretur, non magis hominem quàm tempus; non tempus magis quàm locum, vbi res cœpta, notari poſſe, neq; vllum huius erroris

erroris indicem ac libertatis vindicem exortum, aut contrà hiscere ausum, ante natum Aërium, qui circa annum 340 primus hanc εὐταξίαν conturbare aggressus frustrà fuit. Ab omnibus ille tum Presbyteris, tum Episcopis, ὁμοψήφως καὶ ὁμοψύχως explosus, nullos inuenit, qui ad pileum ab ipso vocati, commentitiam hanc Ecclesiæ libertatem irent vindicatum. Sunt, fateor, ritus nonnulli quorum ortus ignoratur, cuiusmodi est Eucharistiæ infantibus, vt reliquis νεοφωτίστοις præberi solitæ, ritus; itemque mellis & lactis prægustatio, (Infantationem vocat Tertullianus:) & alij complures: verùm illi neque ab vniuersa totius orbis Ecclesia vbique recepti, & à multis iam seculis desiti vel potiùs reiecti. De Episcopis exautorandis ante Aërium nemo, post Aërium soli Geneuenses cogitarunt, multóque longiùs quàm Aërius prouecti, nouum & in Ecclesia prorsus inauditum genus Laïcorum & temporariorum Presbyterorum ad docendum non magis quàm asini ad lyram aptorum excogitarunt. Non minùs infestus erat Pontifici Romano Lutherus, quàm Beza: ille tamen quamuis nullum non lapidem moueret, in disturbanda Babylonis turre, de gradu quem legitimi, quales Anglia habet, Episcopi obtinent, Item mouit nemini; compertúmque habens rem sine Ecclesiæ pernicie abrogari non posse, quod vnum potuit, nomen sustulit, inductóque & expuncto puriore vocabulo Græco, parùm Latinum supposuit, pro Episcopis Superintendentes; pro Archiepiscopis Superintendentes generales appellans, quæ nomina ne illi quidem aspernantur, qui ptr

Ger-

Germaniam, Sarmatiam, finitimaſque regiones, excuſſo Pontificis iugo, non omnia Lutheri dogmata probant. Sed è vobis eos, qui antiquitatis inſtituta omnia, tanquam deliræ anus, aut fatuæ alicuius Faunæ nugas ac rugas, ſannis ac ſputis excipere, penitúſque ex Eccleſijs veſtris furcillare, à Geneuenſibus præceptoribus didicerunt; non magis mouebit, quid Lutherus χθὲς καὶ πρῴην, abrogauerit aut ſubrogarit; ex Geneuenſis alicuius Phœbi tripode ac cortina promendum eſt oraculum. Fatetur Beza, idq; in ſua fidei Confeſſione, diſtributionem prouinciarum, conſtitutionem Metropolitanorum & Patriarcharum, optimo zelo factam. Poteſtne optimus eſſe hic zelus, ſi verbi diuini luce ac ſcientia deſtitutus, Antichriſto, vt vos quidem putatis, viam ad occupandam tyrannidem muniuit, tandemq; Satanicum nobis Epiſcopatum peperit? profectò non tam optimus zelus, quàm peſſimum ſcelus videri queat illud inſtitutum.

CAP. VII.

Triplex Epiſcopatus ſecundùm Bezam.

PRimus Beza, qui tabernaculi illius, quod vnum ſuſpicitis, quod ſuccollantibus Paſtoribus & Presbyteris veſtris laicis, per omnes reformatas Eccleſias circumferri cupitis; Bezaliel merito ſuo apud vos audit; primus ille triplicem procudit Epiſcopatum; Diuinum, qui paulo poſt degenerauit in humanum, ex iſtoque in Satanicum; quaſi quot Epiſcoporum, totidem Epiſcopatuum

piſcopatuum ſint formæ ac differentiæ; & quia inter Chriſtianos quidam ſanctè & religioſè vitam ducunt, nonnulli varijs infirmitatibus laborant; plerique teterimis ſceleribus ac flagitijs ſunt inquinati; triplicem propterea cogamur facere Chriſtianiſmum: aut non aliter inter ſe differant Epiſcopi Chriſtianæ Eccleſiæ, quàm differebant Aaronis poſteri à Sacerdotibus Ieroboamicis; vtrique à Balaamitis, Ethnicorum deunculorum cultoribus. Diſcrimina hîc ſunt non ſolùm Sacerdotum, ſed & Sacerdotiorum. In Chriſtiana verò Eccleſia non niſi vnus eſt Epiſcopatus, diuinitus, vt hactenus oſtenſum, inſtitutus; licet humanarum traditionum fermento, vel etiam Satanicarum ſuperſtitionum veneno variè poſſit inquinari: quemadmodum & Leuiticum Sacerdotium, ἀναντιῤῥήτως diuinum, per filios Heli, alioſque permultos, itemque per altaria in Excelſis paſſim exſtructa, fuit contaminatum. Sacrilegia erant duo poſteriora, non Sacerdotia; parumque ſibi conſtat Beza, ſi humanum Epiſcopatum tolerabilem, aut etiam optimo zelo inſtitutum exiſtimat; quandoquidem humana prudentia ſecundùm ipſius κυρίας λόξας in rebus diuinis etiam in Eccleſiæ regimine conſtituendo ſit Deo inimica, mortéque afferat. Nam prudentia, quæ non eſt ἄνωθεν κατερχομένη, planè eſt non ſolùm terrena & animalis, ſed etiam δαιμονιώδης, id eſt, Satanica, vt teſtatur Iacobus (*cap.* 3. 15.) Ipſius Petri prudentia tanquam Satanica, traducitur à Chriſto, *Matth.* 16. quia, imprudens licet, Satanæ negotium agebat. Quæ cùm minimè ignorauerit

norauerit Beza; nescio cur triplicem confinxerit Episcopatum; nisi forte Rami διχοτομίαν perosus, & à diuinis ad diabolica, nullum, nisi per humana, transitum dari ratus, trimembri partitione vti voluit. Non ita Bezæ præceptor Caluinus, cuius extat Epistola ad veterem amicum, factum Episcopum; In ea primum de pij & Christiani Episcopi officio disserit; deinde quot quantæque difficultates illud in Ecclesia Romana rectè administrare volenti, obijciantur, commemorat; atque hoc pacto adnata Episcopatui è Papatu vitia & inquinamenta, à diuina institutione distinguit, ac secernit. Satanicus Episcopatus à Satana institutus est, in quo cum omnia sint Satanica, ab homine Christiano neque geri, neque suscipi potest legitimè. Huius κόμμα☉ est vnius Romani Pontificis Episcopatus, si modò Episcopatus dici potest: omnino enim aliquid Episcopatu augustius & sublimius esse creditur ista, quam in omnia Ecclesiarum iura, in diuinas, humanasque leges, in Regum sceptra, omniumque hominum conscientias ἄγαμ☉ ille vice-deus arripuit, potestas; cuius tamen nemo nisi Episcopus, est capax. Aliorum in Papatu Episcoporum administratio, licet multis modis deformata, emendari tamen potest & reformari: Vicariatus ille, non magis quàm merum pus atque venenum expurgari cùm possit, totus est è medio Ecclesiæ tollendus, & in abyssi, vnde emersit, puteum abijciendus.

CAP.

CAP. VIII.

Dignitatum Ecclesiasticarum vocabula fastu carere.

SI igitur, quod Beza fassus est, optimo zelo facta est illa prouinciarum distributio, Metropolitanorumque & Patriarcharum constitutio; haud certè optimo zelo feruent plerique vestrûm; qui illa dignitatum vocabula non secus ac Antichristi excrementa execrantur. Qui alijs mitiores videri volunt, ea tanquam seculi typhum spirãtia, à seruis Christi, quorum præcipuum ornamentum est modestia & animi demissio, aliena esse, legitimeque vsurpari non posse scisciunt: quasi verò in signis & vocabulis sit fastus: actum demum optimè habitura sit Ecclesia, cum Pastores abiectis Episcoporum, Archiepiscoporum, & Primatum titulis, fraterculorum illorum, qui minores & minimi dici gaudent, nomina assumpserint. Nempe non solus Diogenes Platonis, sed vestri quoque Ministri, Episcoporum fastum alio calcant fastu: Neque tamen vllum fastus vestigium in nomenclatura Episcopi, quæ inspectionem, id est, curam ac sollicitudinem peruigilem denotat: honoratiùs vtique Presbyteri, siue Senioris appellatio, vnde Senatores, quæ non leuis in Republica est dignitas, dicti. Non igitur in nomine est fastus, sed in stomacho vestro fastidium. Speciosior foret querimonia, si Presbyteri nomen solus in Collegio illo πρεσβύτερος sibi assereret, relicta reliquis Episcoporũ appellatione.

Multò

Multò augustiora sunt vocabula, quibus Deus Mosen, Christus discipulos suos ornat: illi dicit Deus; *Ego te constitui in Deum Pharaoni.* Isti vocantur sal terræ, lux mundi, stellę, angeli, legatione fungentes pro Christo, Oeconomi mysteriorum Dei, &c. Num verò προεσῶτος, quæ Bezæ perplacet, appellatio, omni caret supercilio? Atqui præfectura & imperij significationem habet, etiam in politicis. Romanus autem Pontifex serui seruorum nomen præferens, ambitionem non minuit, sed hypocrisi cumulat. Sed nec ipsi Geneuenses ministri, eam quam prædicant æqualitatem inter se colunt aut seruant. Toto vertice supra collegas eminuit, dū vixit, Caluinus: eminuit, reliquisq; præfuit etiã Beza; siue meriti, siue gradus fuerit ista ὑπεροχή, hilum non interest. Pericles Athenis, Romæ Cicero eloquentiâ; Crassus opibus; Pompeius ac Cæsar rerum gestarum magnitudine potentiam sibi compararunt. Quid refert qua quis parte diadema ac principatus insignia gestet? Domini appellationem Augustus, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit, ne à libertis quidem aut à nepotibus suis, vel seriò vel ioco sibi tribui passus est; & in mimo pronunciatam, populique plausu & ἐπισημασίᾳ comprobatam, tanquam indecoram adulationem, statim vultu, manuque repressit, ac postridie grauissimo edicto increpuit, vetuitque: num propterea minùs erat rerum dominus, gentisque togatæ? Fuerunt Geneuæ, qui maluissent Bezam habere Episcopum legitimè creatum, quàm εὐδαίμονα καὶ ἀδιάφορον Presbyterij præsidem, eamque

que quam in legitimis Episcopis oppugnabat dignitatem, fatali Collegarum omnium ignauia potiùs quàm cuiusquam suffragatione, quoad vixit, obtinentem.

CAP. IX.

Hieronymi sententia de Episcopi & Presbyteri distinctione.

QVi animadvertunt parum præsidij repositum esse in promiscuo vocabulorum Episcopi & Presbyteri vsu, quem in Scriptura cernimus, vbi Apostoli quoque & Diaconi nomina quandoque ponuntur ἀδιαφόρως: (in qua tamen nominum communione nemo Ministeriorum æqualitatem, aut graduum confusionem ruspatus est:) ij Hieronymi patrocinium aduocant; Ait ille *(in Epist. ad Tit.)* Episcopos magis consuetudine, quàm Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse maiores. Sed quid si indidem, id est, ex eadem illa nominum communione, etiam Hieronymo errandi occasio fuerit obiecta? Ille verò non errauit, si hoc tantùm sibi voluit, nempe, quòd quæ ex Dominicæ dispositionis veritate vtrisque communia erant nomina, ex Ecclesiastica demum consuetudine fuerint distincta. Sciendum verò ea tempestate, qua id scripsit Hieronymus, Presbytero neque concionari, neque baptizare, aut cœnam Domini administrare licuisse, præsente Episcopo, sine ipsius venia & permissu, vt testatur Tertul. (de Bapt.) atq; ipsemet Hieronymus (aduer. Lucifer.)

&

è Possid. (in vita Auguſt.) qui mos ſola Eccleſiæ conſuetudine, nullo Chriſti mandato nitebatur: ad hanc igitur ἐυταξίαν reſpexit Hieronymus, qui nihilominus alibi (ad Euagr.) ordinationem ſoli Epiſcopo aſſerit exſertè; qua in re ſicuti præcipuè eminet Epiſcopi ſupra presbyteros dignitas, ita eam manifeſto Dei Verbo probari, ſuprà oſtendimus. Quod verò ex eodem Hieronymo obijcitur, nullos fuiſſe Apoſtolorum tempore, qui iure ſuo Eccleſiarum Presbyterijs præeſſent; ſed vnamquamq; communi Presbyterorum conſilio gubernari conſueuiſſe; id nos quidem haud grauatè concedimus, de illis ſcil. temporibus, quibus ſuperſtites Apoſtoli, nullis dum conſtitutis vicarijs aut ſucceſſoribus, Eccleſias ipſi ſubinde inuiſebant, tanquam generales & Catholici omnium & ſingularum Epiſcopi. Ceterùm quòd ab ipſis Apoſtolis hic ordo fuerit inſtitutis, agnoſcit Hieron. cum ait, (ad Euag.) Alexandriæ à Marco Euangeliſta ad Heraclam vſque & Dionyſium, Presbyteros conſueuiſſe vnum ex ſe electum, & in celſiore gradu collocatum, Epiſcopum nominare, quomodo ſi exercitus imperatorem faciat. Marcum verò ſeptimo Neronis anno, id eſt, viuentibus adhuc pleriſque Apoſtolis, mortuum fuiſſe, idem Hieronymus teſtatur in Catal. Script. Eccles. Hîc tantùm hallucinatur, quod putat, Epiſcopum ſemper ex Presbyterorum duntaxat ordine fuiſſe electum, cum conſtet ſæpe etiam Diaconos ad eum gradum euectos, ſed hoc leuiculum.

CAP.

CAP. X.

Miniſtrorum diſparitas euincitur ex Apocalypſi & Auguſtino.

EX Epiſtolis quas ad ſeptem Eccleſiarum Aſiaticarum Angelos διατυπώσεως ſcripſit Ioannes, firmiſſimum nectitur argumentum, quo gradum illum Apoſtolicis temporibus inſtitutum fuiſſe euincimus. Quorſum enim ſinguli Eccleſiarum illarum Angeli, ſiue Paſtores ſoli compellantur, laudantur, obiurgantur, officij admonentur, ſi quæ in qualibet Eccleſia rectè, vel ſecus facta, non ipſorum magis quàm communi Presbyterorum, vel diligentia vel ſocordia euenerunt? Quid iniquius quàm toto peccante Collegio, ex æqualibus inter ſe Presbyteris conſtituto, vnum ex ijs, cuius exſors ſupra cæteros auctoritas, prorſus nulla, communem omnium culpam præſtare, & reprehenſionem, ſuſtinere ſolum? Indidem refellitur, quod nuperæ & muſteæ illius diſciplinæ patroni, de circulari, & per vices in orbem redeunte ἐπισκοπῇ comminiſcuntur. Vt omnia conemini, omnibus veterum monumentis excuſſis, commenti huius ἀδὲ ὑπὲρ, ἀδὲ ὑπὲρ reperietis. Putatis tamen illud ab Ambroſio ſtatuminari, qui in 4. Epheſ. ait, *Primos Presbyteros appellatos Epiſcopos, vt recedente vno, ſequens ei ſuccederet: ſed quia cœperunt Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutatam eſſe rationem, proſpiciente Concilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum.* At nihil hoc ad veſtram Andromachen. Dicit ille Epiſcopos olim ordine, non electione creatos fuiſſe, vt videlicet defuncto

functo succederet is, qui vel ætate vel merito proximus fuerat viuo, absque nouorum suffragiorum interuentu. Si κυκλοειδὴς fuisset illa Presbyterorum προεδρία, ecquis obsecro multationi locus esse potuisset? Nonne vnusquisque tempore vicis suæ, atque, vt loquitur Lucas, ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ, fuisset Episcopus, ac præses Synedrij? Neque verò vllus Presbyterorum impar fuerit illi, qui vobis adlubescit, Episcopatui, cuius non aliæ sunt partes, quàm sententias rogare, Collegarum vel suffragia numerare, vel mandata referre. Non minùs iunceum est telum, quod ab August. (Epist. 19.) amentatum arripitis: vbi ait, Secundùm honoris vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopum Presbytero maiorem esse. Sæpe iam fassus sum fuisse tempus, cum vocabula essent communia Episcopi & Presbyteri. In hoc autem cardine versatur quæstio; quando & quibus auctoribus discrimen inter ipsa officia fuerit constitutum. Nos illud si non ab ipso Christo immediatè institutum, at saltem sub Apostolis, & ab Apostolis factum fuisse demonstrauimus, antequam illi rebus humanis eximerentur; Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum gessit Marcus, octauo Neronis anno mortuus; cui successit Anianus, huic Abilius, qui omnes superstite Iohanne Apostolo, Ecclesiæ illi præfuerunt (Euseb. l. 2. cap. 24. & l. 3. c. 13. 21.) Euodius Antiochiæ, & post Iacobum fratrem Domini, Simeon Hierosolymis sedit; Polycarpus Smyrnæ, viuente ac vidente illo quem dixi Apostolo, cuius ad Smyrnensem angelum, quem ne vestri quidem Polycarpum fuisse negant, extat Epistola (Apocal. 2. 8.) in

quo

quo vno nihil cum carpat, nihil desideret Iohannes; ex vestra sententia hoc saltem reprehensione dignum erat, quòd Ecclesiæ illius regimen vsurpasset singulariter; non singulari laude alioqui ornandus, si in illo regimine omnia illi cum Collegis & Sympresbyteris erant communia. Quemadmodum quod in militia à militibus & centurionibus, inferioribusque ordinum ductoribus peccatur, non immerito tribunis & superioribus præfectis imputatur: ita quicquid in Asiaticis illis Ecclesijs, non modò greges, sed etiam Presbyteri, qui Episcopi respectu, pars sunt gregis, deliquerunt, nulla ratione vni angelo siue præsidi exprobraretur, nisi eius in coercendis vtriusque, & exsors quedam fuisset potestas. Augustini patrocinio æqualitatem inter Episcopos & Presbyteros stabilitum ire, est accitis Græcorum auxilijs Troiam defendere velle. Ecquis nescit Aërium, discrimen hoc abolere conantem, inter hæreticos ab Augustino relatum fuisse? Diuinæ institutionis ideam in veteris Ecclesiæ forma agnoscit ipsemet Caluinus (Instit. l. 4. c. 4. §. 1. Sic scribens. *Tametsi multos Canones ediderunt illorum temporum Episcopi, quibus plus viderentur exprimere, quàm sacris literis expressum esset; ea tamen cautione totam suam œconomiam composuerunt ad vnicam illam verbi Dei normam, vt facilè videas, nihil ferè hac parte habuisse à verbo Dei alienum.* Spiritualis, in Episcopatu, tyrannidis speciem extare si putasset, descriptionem gubernationis, qua vetus vsa est Ecclesia, nunquam ab hoc elogio exorsus fuisset.

CAP.

CAP. XI.

De senioribus Laicis.

HOc igitur collyrium, ex purioris antiquitatis, ipsiusque Scripturæ myrothecio confectum, sicuti meis oculis visum restituit; ita & sanandæ priori cæcitati vestræ, qua quæ apertissima sunt, non videtis; idoneũ & efficax fore confido, siquidem sepositis & in vnius veritatis studium & obsequium compositis affectibus, in timore Domini, id vobis adhiberi patiamini. Nunc ad alteram cæcitatis, quæ vos tenet, speciem accedo; qua factum, vt quæ nusquam sunt, videre vobis videamini. Hoc phasma vt discutiamus ac profligemus, nullo argumentorum apparatu opus est nobis: Ecquis enim id, quod nuspiam est, manifesta in luce videndum proponat? Nebulæ tantùm in quibus picta vestrorum argumentorum phænomena, vel potiùs idola, falsis vos ludunt imaginibus, nobis sunt diffidandæ, ne liquidi Solis adspectum vobis porrò intercipiant.

Fundus ac fundamentum Presbyteriorum illorum, in quibus laicos ac temporarios Seniores, perpetuis verbi diuini ministris adiunctos collocastis; est locus Apostoli, 1. *Tim.* 5. 17. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habentor, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc Geneuenses magistri, quadrata scilicet demonstratione, duplex Presbyterorum genus procuderunt: vnum eorum, qui in verbo & doctrina laborant; alterum Laicorum, qui disciplinæ tantùm præsunt, idque certo

certo temporis, anni puta vel biennij ſpacio, quo elapſo, plerique domeſtica negotia cauſſati, munere illo vnde commoda nulla percipiunt, ſeſe abdicant. Hoc Presbyterorum genus, quicquid olim viſum fuerit mihi, qua ibatur, eunti; qua eundum, non inquirenti; tandem didici non magis ad Eccleſiaſticas functiones vel ordines pertinere, quàm ſtruma, aut tuber, ad humanum pertinet corpus: atque vt inueteratam de pulmone vobis reuellam opinionem; primũ cogitare vos, velim, nulli vnquã ſcriptori Eccleſiaſtico aut Scripturarum interprti, peregrini huius & abſoni interpretamẽti ſuſpicionẽ in mentem veniſſe; quod proinde circiter mille ac quingentos annos, in Heracliti puteo demerſum latuit, Caluinóq; demum ac Bezæ patuit, qui hac ſaltem in parte nouitatis arceſſuntur iure merito. Deinde hoc quoq; ad animum vos reuocare pareſt, quod cum Paulus Presbyterij vocabulum ſemel duntaxat vſurpet, 1. *Tim.* 4. 14. nullus ibi laicis Presbyteris veſtris locus eſſe queat. Vult Beza vocabulum illud ſignificare, non munus, vel officium, ſed cœtum Presbyterorum, manus ei qui ordinatur, imponentium. At hoc χειροθεσίας ius, cum laicis ſenioribus communicandum, ne vos quidem vnquam cenſuiſtis, præſertim cum Sacramenti appellationem huic ritui non malè tribui fateatur Caluinus (Inſt. l. 4. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31.) qui, licet non cœtum Presbyterorum, ſed munus, ſiue Presbyteratum, Presbyterij voce denotari ſtatuit; eodem tamen res recidit. Nam vt nemo munus hoc ſuſcipere poteſt, abſq; manuum impoſitione; ſic neminem laicum eas cuiquam imponere, fas &

iura sinunt. Iam verò cùm honoris appellatione, etiam stipendia, Presbyteris de Ecclesiæ ærario persolui solita, contineantur, ex ipsius Caluini & Bezæ sententia; quæ nulla Laicis senioribus sunt constituta, neque ex Domini præcepto constituenda, nisi ijs qui Euangelium annuntiant, 1. *Cor.* 9. 14. quinam conciliabitur Dominica hæc διάταξις, cum illâ Apostolicâ, ex qua, si vestra admittitur expositio, duplex stipendium debetur illis, qui bene præsunt etiamsi Euangelium non prædicent? Etenim, si ex illo Pauli loco vobis colligere licet, fuisse iam tum Presbyteros quosdam, non laborantes in verbo & doctrina; multo rectius & concinnius nobis inde colligere licuerit, duplici honore stipendióq; dignos, atque, vt Cyprianus loquitur, in sportulantium fratrum numerum referendos esse vtrosque, tam qui bene præsunt, quàm qui bene docent. Quid ergo? nullumne discrimen inter Presbyteros, locus ille Pauli innuit? Imo distinguit etiam eos, qui bene præsunt: nam & inter hos alij alijs sunt potiores, & præsunt meliùs, non solùm κοπιῶντες, id est, simpliciter laborantes; sed etiam κοπιῶντες, id est, difficili & ærumnoso labore sese propemodum conficientes, cuiusmodi laborem semper ferè Apostolus hoc verbo declarat. Horum in numero erant qui pluribus atq; inter se longiùs diffitis Ecclesijs obeundis ac pascendis destinati, non sine maximis molestijs vltrò citróq; commeabant, & hostium Euangelij insidijs adpetiti, grauissimis sæpe periculis capita sua obiectabant, quietiore alijs domi, apud suos, ministerio fungentibus: qui licet minimè obtorpescerent,

se-

ſedulóq; munus ſuum obirent, non tamen ijſdem quibus illi, ludibrijs ac periculis erant oppertuni, aut ſtipendijs digni. Sic Paulus omnibus Apoſtolis περισσότερον ἐκοπίασε, 1. *Cor.* 15. 10. quod citra κενοδοξίαν, citra coapoſtolorum iniuriam, ab eo dictum, nemo negat. Quidni & illi Presbyteri huc referantur, qui non modò commiſſos ſibi greges verbo ac viuæ vocis præconio diligenter paſcunt, verumetiam præclaris, ac cedro dignis lucubrationibus abſentes, ipſóſq; poſteros erudiunt, eamque ob cauſam παννύχιοι καὶ πανημέρινοι, ſtudijs invigilantes, vix pauxillum laxamenti curando corpuſculo impertiunt: atque etiam, vt aiebat Athenagoras, non ſolùm περὶ ἀληθείας apud ſuos diſſerunt; ſed foris quoque ὑπὲρ ἀληθείας aduerſus hæreticos ſubinde pugnantes, quodammodo θηριομαχοῦσι. Nihil horum dici poteſt de laicis veſtris Senioribus: à ſtiua, à tonſtrinis & ſutrinis ad Synedrium progreſſi, moxq; à ſynedrio ad priora ſua opificia regreſſi; à quibus, ne in presbyteratu quidem ſuo feriantur, non ſolùm legitima Presbyterorum, de quibus Paulus agit, ſtipendia non merentur, ſed ne viduarum quidem ſportulis digni ſunt; ſiquidem inter ipſas quoque viduas diſcrimen ſeruari vult Apoſtolus, ne quibus alia cognatorum & neceſſariorum præſidia ſuppetunt, illis oneretur Eccleſia, eóq; minùs ſufficiat alendis ταῖς ὄντως χήραις, καὶ μεμονομέναις, tandemq; nec legitimis Presbyteris luculentiora, ſiue duplicia ſtipendia poſſit exſoluere. Nam vt in militia omne donatiuum geometrica diuidi proportione ſolebat; (neque enim Legionarius Centurioni, Centurio Tribuno, Tribu-

nus Legato æquandus ;) ita & in Ecclesia, inter pauperes, qui nullam ; & viduas, quæ aliquam sed viliorem ; & Presbyteros, qui nobilissimam ac præstantissimam Ecclesiæ operam nauabant, subsidij siue autoramenti discrimen vtique fuit constituendum. Passonem quendam statuarium ineptissimum, Mercurios sculpsisse aiunt, qui nihil Mercurio simile, neque intus neque foris haberent : Tales sunt Seniores vestri laici ; heri cerdones, hodie Sacerdotes, sed absque Vrim & Tummim, ἑρμαὶ ἀμύθητοι, absque ἑρμηνείᾳ. Quibus vix inter remiges in transtris, aut etiam in sentina locus erat ; eos ad Ecclesiasticæ nauis clauum gubernatores collocatis, & ab Apostolo κυβερνήσεις indigetatos, hariolamini ; qui exorta tempestate, decumanis in procelloso Oceano fluctibus iactati, neque Helicen, neque Cynosuram noscentes, ita exclament :

ὦ φίλοι, οὐ γὰρ τ' ἴδμεν ὅθ' ἠὼς, οὐδ' ὅθι δυσμὴ,
οὐδ' ὅθι ἤελιος φαεσίμβροτος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν,
οὐδ' ὅθ' ἀνεῖται, &c.

Instat tamen vestræ disciplinæ hyperaspistes, & in illo Pauli loco λόγον à διδασκαλίᾳ distinguit, vt scilicet iudiciosissimũ scriptorem à ταυτολογίας vitio vindicet, ne idem bis dixisse videatur, ac λόγον laicis illis senioribus ne planè sint κωφὰ πρόσωπα, διδασκαλίαν concionatoribus tribuit. Quasi verò non sexcentis locis apud Scriptores θεοπνεύστους, adeòq; apud hunc ipsum vel Synonyma connectantur, vel posterior dictio, tanquam prioris exegetica subijciatur : quasi non aptissimè exponantur hæc verba,

verba, *in verbo & doctrina*: per ista, in *Doctrina* verbi, vt illud Poetę, *pateris libamus & auro*; id est, aureis pateris, ἐν δια δυσὶν. Nempe cum latè pateat vocabulum λόγου, aptissimè restringitur per τὸ διδασκαλία. Sic λόγοι πίστεως 1. *Tim.* 4. 6. exponente Beza, nihil aliud sonat, quàm, *sana Doctrina*. Idem epexegesin agnoscit *Rom.* 1. 5. in illis verbis, Gratiam & Apostolatum, pro gratia Apostolatus; vel gratiam, id est, Apostolatum. Nulla igitur in hoc Apostoli loco ταυτολογία, vtinam nec in ore vestro φλυαρία.

Quæ ex alijs Scripturæ locis, vt *Rom.* 12. 8. 1. *Cor.* 12. 28. testimonia adducere consuestis, tam sunt aliena à laicis illis Presbyteris, vt ne tum quidem cùm institutum illud vobiscum probarem, vllis fidiculis hinc aliquid exprimi posse existimauerim. Nam præterquam quòd qui testimonijs illis vtuntur, functiones Ecclesiæ ordinarias ac perpetuas, cum extraordinarijs ac temporarijs donis ac facultatibus Spiritus sancti plerumque permiscent; hoc quoque certum est, charismata hæc, non solùm viris merè laicis, nulloque, etiam ex vestra sententia, in Ecclesia munere fungentibus; sed quandoque etiam fœminis obtigisse, idque ex vaticinio Ioelis quod Petrus repetit (*Act.* 2. 17.) Non postremum inter ea dona locum obtinet Prophetia: acceperant tamen illud quatuor filiæ Philippi, *Act.* 21. 9. Et Paulus quoque inter prophetantes commemorat mulieres, 1. *Cor.* 11. 5. Quid propriè fuerint illæ ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, δυνάμεις, etsi nemo fortassis hodie penitùs intelligat; nemo tamen, nisi qui peponem cordis loco habet, vestros Presbyteros vo-

cabulis illis designari exiſtimauerit, tantiſper, dum eos qui ab opificum taberuis, ad illam ἀρχιτεκτονίαν aſcendunt, neque extraordinario dono, quod Amos, ex pecuario Propheta factus, accepit; neque ordinario, quod legitimis Presbyteris dari docet Apoſtolus (1. *Tim.* 4. 14.) ornatos conſpiciet.

Supereſt vobis Ambroſius, nihilo fæliciùs laicos Seniores defenſurus, quàm ſupra circulares veſtros præſides tutatus. Sic ille in 1. *Tim.* 5. *v.* 1. *Apud omnes vtique gentes venerabilis eſt ſenectus; vnde & ſynagoga, & poſtea etiam Eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia; quod qua negligentia obſoleuerit, neſcio, niſi forte Doctorum deſidia, aut magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri.* Verum his verbis ætate, non officio ſeniores deſignantur. Hos olim ab Epiſcopis & Presbyteris propriè dictis, ſicubi de rebus maioris momenti incidiſſet deliberatio, in conſilium adhiberi ſolitos, nec inficiamur, nec vt idem porro fiat, repugnamus. At qui hoc pacto conſuluntur, quamuis ſubacta rerum vſu prudentiâ, eruditione, nec non ſacrarum literarum peritia, quæ in priuato quandoque maior, quàm in aliquo Epiſcopo, egregiè ſint inſtructi, non propterea laici eſſe deſinunt, aut veri nominis Presbyteri fiunt. Synogogæ ſeniores, populi iudices ac magiſtratus erant diuino inſtituto: non tamen in omnibus, in quibus δυνάμις, ſeu facultas ad gerendum magiſtratum idonea, protinus capeſſendi magiſtratus erat ἐξουσία ſeu poteſtas. Sic & in Eccleſia ſeniores ſeu Preſbyteri, alij ſunt inſtitutione diuina, in quibus & δυνάμις & ἐξουσία publicè docendi: alij ætate, eruditione

ditione, & experientia, qui cum opus est, consuli possunt, Ecclesiam gubernare, eiusque claues, quæ publici sunt muneris, tractare non possunt, nisi abdicatis alijs functionibus, sacræ huic militiæ ritè inaugurentur, tametsi senes honorari iubeat, non modò lex Mosis, (*Leuit.* 19.) verum etiam ratio & lex naturæ id dictauerit gentibus, quæ, vt Satyricus canit,

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

De diuinæ & naturalis huius legis contemptu conqueritur Ambrosius, cuius de laicorum iudicijs in caussis & personis Ecclesiasticis, sententiam perspicere potestis ex ipsius ad Valentinianum Imp: Epistola (lib. 5. Ep. 32.) vbi inter cætera exclamat: *Quando audiuisti, clementiss ime Imperator, in caussa fidei laicos de Episcopo iudicasse?* Paulus accitis Miletum Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteris, præcipit vt Ecclesiam pascant, *Act.* 20. 28. Si omnes aduenerant, omnes quoque mandatum hoc de pascenda Ecclesia acceperunt: si non omnes; cur domi manserunt soli laici illi Presbyteri nullum gregem pascere idonei? Cur nominis societatem adfectans, qui oneris in docendo, quod propriè est pascere, partē nullam suscipiunt? Quales in Creta cōstitui voluit Presbyteros Paulus, tales proculdubio alijs quoque in locis voluit constitui. Illos autem vocat Dei dispensatores, tenaces fidelis sermonis, qui possint exhortari per sanam doctrinam, & contradicentes conuincere (*Tit.* 1. 7.) Vobis ijdem sunt resbyteri & Episcopi. At qui neque sunt διδακτικὸς

neque

neque ἐπίσκοποι, illi Paulo nec Episcopi sunt, nec Presbyteri. Cur in Scotia locus detur pseudonymis istis Presbyteris, qui neque docere, neque refellere possunt, quales in Creta neque tulisset Paulus, neque constituisset Titus.

Dic aliquem, sodes, parepiscope Scote, colorem.

CAP. XII.

De Ingeniculatione in suscipienda sacra cœna.

REstitutis igitur hoc pacto, quos deiectum ibatis Episcopis; deiectisque & expunctis, ex manipulis ecclesiasticis, insitiuis vestris Presbyteris, quorum τέλμα, vt vobis hodie, sic & mihi quoddam disciplinæ palladium visum est olim, antequam Saturnias hasce lemas, istæ, quas nũc candidè impertio, rationes absterssissent; Supersunt iam leuiora quædam morosæ illius disciplinæ ἐξανθήματα, quæ intacta & incurata relinquere non patitur meus ille candor, singulariſque in gentem ac nationem vestram adfectus: præsertim cum intellexerim, restincto iam propemodum illo, quod pauci quidam alastores in Episcoporum perniciem excitarant, incendio; in adiaphoris quibusdam ritibus fomites quæri, & ὑπυρέυματα, quibus sopiti ignes ἀναζωπυρεῖσθαι & in rediuinam è cineribus flammam reuocari queant.

Retenta ab Anglis priscorum Patrum instituta, vrunt νεωτερισάς, nouandis, quàm gerendis rebus apti-

aptiores: sordent τὰ ἀρχαῖα ἤθη præ musteis Geneuensium rhetris: ferre non possunt illi Eucharistiam à procumbentibus in genua susci pi; eandem ad clinicos & moribundos deferri: Baptismum quouis loco & tempore, cum id postulat anceps paruulorum valetudo, administrari: Baptizatis ab Episcopo manus imponi: Eximiorum humanæ redemptionis beneficiorum memoriam anniuersarijs diebus celebrari: Hæc, & si quæ sunt consimilia, ad externam Ecclesiæ εὐταξίαν pertinentia, quamuis mihi quoque displicuerunt olim, cum nescio quas Babylonici choragij reliquias in illis latere suspicarer; nunquam tamen tanti sunt visa, vt propterea Ecclesiam scindendam, fluctus in simpulo, fulgura è pelui excitanda censuerim; non ignarus in rebus medijs, Ecclesiæ, imprimisque Principibus, quando hi sunt Ecclesiæ nutricij, concessam à Deo potestatem, hanc politiam ita constituendi, vt generalis ille *Canon*, 1. *Cor.* 14. 40. qui in domo Dei omnia ordine ac decenter fieri præcipit, quàm commodissimè seruetur. Cæterum dum pensiculatius singula considero, non hæc Papana μιάσματα, sed illa potiùs quæ vobis fingitis mera esse μορμολύκεια deprehendi. Atque vt de singulis illis capitibus dicamus: potestne cuiquam sobrio & sicco absurdus aut indecorus videri ritus ille S. Eucharistiam flexis poplitibus suscipiendi? Non solùm indecorus, inquiunt turbones vestri Demagogi, sed maximè periculosus est; quia manifestam cum Pontificijs artolatris, cuiusdam contesserationis speciem præbet, & oculis ingerit. Scilicet ignorant Angli discrimen quod est inter

Christum

Christum & Christi Sacramentum; quod ne Pontificij quidem ignorare videri volunt; tametsi enim hi panem adorant, non tamen panem adorandũ esse dictitant, ideoque nondũ consecratum panem populo ostendi vetant, ne ab imperita plebecula temerè adoretur; sed neque post consecrationem in Transubstantiationis tragelapho, accidentia sine subiecto, sed solum Christum adorari dicunt. Quorsum ergo noua hæc vos incessit Religio, vt vereamini, ne post debellatam Pontificiæ idolomanię excetram, populus tot iam annos puriore doctrina imbutus, ob non minùs laudatum, quàm antiquum hunc συγκλησίας ritum, in fædissimum illius Lernæ barathrum reuoluatur? Longè iustior est metus, ne perfractis superstitiosi zeli clathris, contemptui & prophanæ licentiæ habenas laxet populus, & dum sacrorum Symbolorum venerationem refugit, ne Christum quidem adoret. Qui contesserationis cum Pontificijs speciem vitandam clamitatis; longè periculosiorem cum Socinianis syncretismum non animaduertitis. Istis solenne est assidere mensæ Eucharisticæ; genua flectere obstinatè renuunt, ne cultum Deo debitum, Christo, quem Deum esse negant, exhibere videantur. Si nefas vobis quicquam cum Pontificijs commune habere, nemo vestrûm deinceps siue publicè in cætu Ecclesiæ, siue domi suæ in conclaui orans, genibus incumbat. At enimuero piaculum est à Christi exemplo discedere, quem in hoc epulo, non solùm non flexisse genua, sed etiam in lecto accubuisse docet historia sacra. Cur igitur vos veterem illam in lectis tricliniaribus cubandi

bandi consuetudinem, in sessionem versam tam æquo fertis animo? Reperitur quidem vocablum ישב, quod propriè est sedere, etiam accumbendi significatione vt Ezech. 23.41. vbi mulier σταπλῶσα in lecto sedere dicitur: Christum verò decubuisse, & vos vrgetis, & Iohannis, in Christi Sinu recumbentis, situs; & vocabula ἀναπεῖσθαι, ἀνακλίνειν, ἀναπίπτειν, ab Euangelistis vsurpata, manifestè euincunt. Cur cætera primæ illius cœnæ adiuncta insuper habetis, neglectis temporis, quod vespertinum; loci, qui priuata domus; panis, qui azymus erat, circumstantijs? Cur priuatam cœnam prius non sumitis, eamque peracta in secundis demum mensis sacram hanc celebratis? Cur pedilauium, diserto Christi mandato subnixum, omittitis? (*Ioh.* 13. 14.) Neque verò negari potest, inter Sacramentales ritus olim vsurpatum fuisse τὸ ποδονιπτῆρον; antiquatum tandem postquam considerarunt Ecclesiæ antistites, Christum regionis ac temporis illius ratione habita, nihil aliud præter promptum alacremque ad quæuis mutuæ caritatis & ædificationis officia præstanda, animum, hac synecdoche designasse; quo modo & Paulus Diaconissarum sedulitatẽ & diligentiã hoc quasi documẽto explorãdã esse docet, 1. *Tim.* 5. 10. Nimiùm verò in re tam seria, ridicularij sunt, qui in sessionis ritu expressam nostræ cum Christo societatis & vnionis imaginem cerni nugantur. Quasi verò aut in hoc corporis situ, non nisi ad corporis nostri, in vulgaris cibi sumptione, quietem, & refectionem apto; sita sit vnio merè spiritualis, ac planè μυστηρώδης; aut Iudas quoque, quem mensa

sua

ſua dignatum Chriſtus, eodem cum reliquis modo accumbere paſſus eſt; vnionis illius fuerit particeps; aut Chriſtus iam ad dextram Patris ſedens in ſupremo exaltationis gradu, non minùs hodie præſens ſit corpore, quoties Euchariſtiam celebramus, quàm fuit in illo poſtremi agonis veſtibulo, infimoq; ſuæ κενώσεως gradu: aut deniq; ſeſſio non minùs ad Sacramentales ritus pertineat, quàm ipſa ſymbolorum conſecratio, panis fractio, diſtributio, ſumptio & manducatio: quod ſi qui aſſerunt, eâdem illi διανοίας ἀῤῥωσίᾳ, etiam lectos tricliniares, menſamque, Sacramenti partes integrantes eſſe deinceps affirment.

Sic porro excipitis: Cum vetus traditio vetuerit genua flectere diebus Dominicis, totoq; Pentecoſtes tempore, quo tamen minimè intermiſſus fuit vſus Cœnæ Dominicæ, ſatis conſtat neminem eam de geniculis accepiſſe. Rectè ſanè. Verùm eadem traditio quæ certis diebus genua flectere prohibuit, non ſedere, ſed ſtare iuſſit orantes: vnde precationes, ſtationes appellatas fuiſſe obſeruant eruditi; quem morem ſublatum eſſe cum ne vobis quidem doleat, cur diſplicet ex antiquitate retentus in Anglia mos, eodem corporis geſtu ac ſchemate quo oramus, etiam Euchariſtiam ſumendi? Certè Paulum Ieroſolyma proficiſcentem paulò ante feſtum Pentecoſtes, non ſtantem, ſed flexis genibus oraſſe legimus, *Act.* 20. 36. Non leuiter profectò delirat, cui indecora vel etiam nefaria videtur γονυκλισία, vbi non modò decora, ſed planè neceſſaria eſt oratio, Chriſtique, corpus ſuum in myſterio manducandum præbentis, adoratio:

ratio : neque enim minore cultu & veneratione dignus, inter pios is, qui est Deus in secula benedictus, quàm prophanis gentibus erant deunculi, quibus in solennibus sacrificiorum suorum epulis, prothymata libantes, ac vota nuncupantes, de mensa surgere, & in genua procumbere solebant, vt refert Athenæus (lib. 4.) At enimvero, inquiunt rigidi magistri, fœda est hypocrisis & manifestæ adulationis speciem habet, in hac liturgia, cultu & reuerentia superare velle ipsos Apostolos, qui cum Domino accumbentes, ne præsentem quidem isto supplicum gestu sunt venerati. Nos verò iam retudimus hoc telum, haud metuendum ei, qui considerarit, ex familiari consuetudine, primisq; tiroçinij rudimentis Discipulorum cum Domino, in serui forma incedente, conuersantium, & de diuina eius majestate, non magis cogitantium, quàm deinde excitatum à mortuis crediderunt; perperam peti absolutam normam ac Canonem reuerentiæ ac cultûs; quo illum iam supra omnes cœlos euectum, nec amplius secundùm carnem noscendum, à nobis affici par est, adeo vt necesse non habeamus formam accubitus à Christo vsurpatam imitari. Nihilo plus roboris aut coloris habent exempla, quæ adferre soletis, siue Ethnicorum in Idoleis lectisternia agitantium, & idolothytis vescentium; siue Israelitarum in epulo ac festiuitate aurei vituli assidentium, vnde sedendi necessitatem in sacra synaxi, exsculpere conamini, propter institutam ab Apostolo comparationem, inter istam Domini, & illam Dæmoniorum mensam. Itane nihil pensi habetis, nigrum Theta

præfi-

præfigere Gallicanis alijsq; adamatæ illius disciplinæ consecraneis Ecclesijs, ipsi deniq; communi istarum omnium matri, Geneuensi, vbi nemo sedens, omnes stantes sacra symbola percipiunt? Sed neque distribuunt ea inter se οἱ μετέχοντες, de solius Ministri manu ea accipientes; neque verba illa Christi (*Hoc est corpus meum*) profert Minister. Sunt qui Pauli verbis 1. *Cor.* 10. 16. vti malint; Sunt qui ad nullam certam formulam, tanquam ad solemne carmen sese adstringi patiantur. Videte igitur annon fidem, ritusque, ex personis potiùs, quàm personas ex fide ac ritibus æstimetis; dum quod in Gallis, & Germanis saltem silentio vestro approbatis, in solis Anglis maligno dente arroditis: Anglis inquam, qui vobiscum in eadem insula, sub eodem degunt Monarcha, eiusdem linguæ, morum, religionis denique iuncti cognatione. Si standum esse censetis orantibus, propter exempla, *Luc.* 18. 11. 13. *Ierem.* 15. 1. liceat nobis Christi, Stephani, Pauli, Petri, &c. exemplo fretis, inter orandum genua flectere, *Luc.* 22. 41. *Act.* 7. 60. & 20. 36. & 9. 40. *Eph.* 3. 14. In lecto iacentes orarunt Iacobus, *Gen.* 47. 31. *Ezechias*, *Isa.* 38. 2. Nempe quia prostratis morbo viribus, neque genibus incumbere, neque in pedes erigere se poterant. Interim ille quantum potuit connixus, ac scipione fulsus sese erexit, vt externo quoque corporis gestu honorem exhiberet Deo, quod non abs re annotat Scriptura, *Hebr.* 11. 21. Quemadmodum igitur terrenorum Principum aulas ingressuri, vrbanitatis leges, reuerentiæque Principibus exhibendæ

bendæ modú ex veteranis Aulæ miniſtris exquirunt: ita & nos oraturos, in illorum, quos commemorauimus, fidiſſimorú in domo Dei Miniſtrorum exemplum, tanquam in ſpeculum, intueri, ipſóque corporis ſchemate animi demiſſionem ac reuerentiam erga Deum profiteri ac conteſtari par eſt. Damaſcenus (De hæres.) inter hæreticos recenſet quoddam genus hominum, qui eiuſdem pertinaciæ œſtro perciti negabant genua eſſe flectenda orantibus, quos propterea ἀγονυκλίτους appellatos fuiſſe ait.

Vos quoq; Principibus permiſti his ſtetis Achiuis.

Non egerunt hypocritas Moſes, Aaron, Ioſue, (*Deu.*9.18. *Num.*16.22. *Ioſ.*5.14.) neq; illi 24. Seniores (*Apoc.*4.10.) nõ genua ſolũ flectentes, ſed in faciem procidentes. Si quicquid hypocritæ ſimulare vel imitari poſſunt, ſolentque, abijciendum & omittendum, non modò ingeniculatio, ſed precatio quoque, ac ſynaxes, totum denique Miniſterium eſſet abolendum. In qualibet precum eiaculatione cuilibet ſemper & vbilibet in genua procidendum eſſe, nemo putat, niſi fanaticus; At in Synaxi, in Eccleſiaſtici cætus liturgia, vbi coram Rege Regum ac Domino dominantium ſe ſiſtunt ſubditi, æternaque ſupplicia meriti, codicillos veniales, ac reſtitutionem in integrum ſupplicibus precibus efflagitant; ſi inæſtimabilis beneficij diploma, ſacro-ſancto ſigillo munitum ſinguli καθ' ἕνους accipientes procumbant, & corpore ad demiſſiſſimi animi ſignificationem compoſito, tum indignitatem ſuam, tum immenſam Redemptoris bonitatem ac φιλανθρωπίαν profiteantur ac teſtentur; tam illi

illi, apud æquos pietatis æstimatores, ab omni hypocriseos & adulationis specie aberunt; quàm vos à reuerentia & obsequio, Deo, Deique vicarijs Principibus præstando, abestis. Non mouet nos rigidum Gnosticorum supercilium, vt nostram cum prisca Ecclesia συναπάβασιν tueri desinamus. Eius consuetudinem, tum alij, tum imprimis Origenes, Cyrillus (in mystagog.) commemorant: ac frustra sunt vestri, imo & secum pugnant ipsi, cum aiunt Originem non de Synaxi, sed de eâ, quæ quouis loco ac tempore Christo exhibenda est, reuerentia agere: ac Catecheses illas nomen Cyrilli falsò præferre. Verũ si quod vos vultis, Origenes sibi voluit, sequetur semper & vbiq;, etiam extra sactam Synaxin, quotiescunque aliqua de Christo, vel in sermone mentio, vel animo cogitatio incidit, in genua esse procumbendum, quod vosmetipsi ridiculum & absurdum iudicatis. Cyrilli Catecheses nimis leui de causa in suspicionem νοθείας vocantur: puta quòd in indice Græcorum librorum, quos Respub. Augustana emit à quodam Corcyræo, tribuantur cuidam Iohanni Ierosolymitano. Aliter iudicat Casaubonus; suique iudicij adstipulatores laudat Hieronymum, Theodoretum, Photium, Damascenum, alios (aduers. Baron. pag. 660.) Verùm enimuero quia nullum auribus vestris iucundum est acroama, nisi quod à Geneuensibus phonascis pronuntiatur; disciplinæ vestræ conditorem audite. Quærit ille (Instit. lib. 4. c. 10. §. 30.) sitne humana traditio, geniculatio, quam repudiare vel negligere cuiuis liceat; respõdetq; sic esse humanam, vt simul sit diuina. *Dei est*, inquit, *quatenus pars est decori*

decori illius, cuius cura & obſeruatio nobis per Apoſtolum commendatur: hominum autem quatenus ſpecialiter deſignat, quod in genere fuerat indicatum magis, quàm expoſitum. Alibi (eodem lib. c. 17. §. 37.) de Cœnæ ritibus agens, dicit, *eam adorationem eſſe legitimam, quæ non in ſigno reſidet, ſed ad Chriſtum in cœlo ſedentem dirigitur.* Itane vbi legitima eſt adoratio, cuiquam mortalium illegitima videri poteſt geniculatio? An metuendum ne immodicus Chriſto honos exhibeatur? Faceſſat verò inſanus hic metus, & contrarius potiùs animos inceſſat, ne Papanæ ſuperſtitionis odio, in impium ac Epicureum prolabamur contemptum. Olim oſculum adorationis ac ſubiectionis erat ſymbolum, tam ciuilis, vt Gen. 41. 40. 1. Sam. 10. 1. quàm religiosa, vt Pſal. 2. 12. 1. Reg. 19. 18. Hoſ. 13. 2. Iob 31. 27. Non ſolùm agreſtis & ἀπαιδευτος, ſed contumax quoque & impius audiſſet, qui ritum hunc repudiaſſet. Quidni eodem carbone notetur, qui receptam Chriſtiano vſu γονυκλισίαν petulanti faſtidio reſpuit? Omnino ad has incitas adigimini, fratres Scoti; vt vel Chriſtum in Euchariſtia adorandum negetis cum Arianis, vel geniculationem cum adoratione decentiſſimè coniungi fateamini nobiſcum. Paulò acriore ſcalpro pertundenda fuit iſta τῶν βαρυσήνων vomica, quandoquidem hic nonnulli ſupra modum paratragædiant, lymphatico terrore omnia complentes, ac reuiuiſcentis in Scotia Papatûs hæc quaſi ſigna attolli, breuique omnia in antiquum chaos reditura, μαλα παθητικῶς vociferantes: quorum intemperies, ſi nullâ ſanabilis eſt paræneſi; vereor, ne tandem ex-

cita illa, quæ καμπεσίγουνος à Poeta dicitur, Erinnys, obstipas ceruices, rigidosque poplites, non amplius flectere studeat, sed frangere incipiat.

CAP. XIII.

An Eucharistia ad Clinicos deferenda.

NVnc cætera quæ supersunt cerebrosi huius morbi symptomata destringemus. Eucharistiam ad Clinicos deferri, qui nollent, verentur, 1. ne publica & Ecclesiastica actio transeat in priuatam ac domesticam. 2. Ne sacramenti huius domi potiundi spe, deserantur, aut infrequentiores fiant synaxes. 3. Ne in signis & elementis defixa plebs, salutis fiduciam ab eorum vsu suspendat, & quibus viaticum hoc, atque vt Veteres vocabant, δῶρον ἐξιτήριον non contingit, pessimè cum ijs agi existimet, cœlestemquè gratiam terrenis signis alliget. Hæ rationes mihi quoque olim in vestris castris merenti, apprimè graues sunt visæ, dignæque propter quas mos iste, vbi admissus eijceretur; vbi nondum receptus, excluderetur. Verùm hîc quoq; δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας sensi. Etenim cum tota hæc vita nihil nisi militia sit, teste Iobo, milite exercitatissimo ac fortissimo; & rugiens ille leo, omnes irrumpendi aditus vestigans, tum potissimum prędę inheret, cum ægrotus in postremo agonis sui actu constitutus, diraque anteactæ vitæ peccatorum imagine conterritus maximè opus habet, quo vno ignita mali illius iacula extinguantur, fidei scuto: quis dubitabit, obsecro omnia admouenda

esse

esse præsidia & adminicula, quibus quassatus calamus sustentari, fumans ellychnium ali, adfusóq; oleo flammam concipere, in illáque corporis animique caligine ac vertigine luculentiùs splendescere queat? Atque vt loquitur Eusebius; ἵνα ἐνέλωσιν ἀπαλλάξωσι Est quidem in verbo, vt potentia ad salutem omni credenti, sic summa necessitas, vnicuique semen renascendi: interim tamen qui in carne viuũt, quod pluribus offertur sensibus, firmiùs vtique apprehendunt quàm quod solo auditu percipiunt. Neque enim Dei promissio, sed infirma hominis fides hisce tibicinibus fulcitur; ac proinde si de rebus merè terrenis non superuacanea sunt symbola, cum tradita claue domus, apprehensa gleba ager, dato annulo sponsa alicui addicitur, quanto maioris momenti est eorum vsus in rebus mysticis, quarum natura absque illa vanorum typorum ac similitudinis pictura nec in Scripturis adumbratur, nec à mentibus humanis percipitur? Incommoda quæ οἱ ἐξ ἀναγκαίας adducunt, fidi Ecclesiæ antistites nullo negotio amolientur: neque enim sine sontica causa Eucharistiam in priuatis ædibus celebrari patientur, aut sanis ac bene valentibus domi eam percipiendi spem vel potestatem facient. Et Pontificiorum errorem, de alligata signis salute, atque, vt Barbari loquuntur, de opere operato, recta plebis institutione & Catechesi pridem profligatum, tam postico, quàm foribus excludent. Est autem æquius, moueri nos Concilij Nicæni Canone XIII. quem vniuersus orbis Christianus probauit, suáque antequam Pontificis inualuisset tyrannis, praxi confirmauit; quàm vnius Ge-

neuẽsis Ecclesiæ præscripto. Sic loquitur Canõ ille: περὶ μὲν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς, καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν: ὅστις ἄρα ἐξοδεύοι, τὸ τελευταῖον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. *De his qui vita excedunt, vetus & Canonica lex nunc quoque seruabitur, vt siquis excedat, vltimo & summè necessario viatico minimè fraudetur.* Qui mos iam Nicæni Concilij tempore vetus erat, cuiusque praxis summè necessaria videbatur, lectissimo illi Episcoporum choro, ac flori delibato; is neque Pontificius, neque nouitius videri potest cordatis: nuperum potiùs videbitur Geneuense interdictum. Omitto notissimam historiam Serapionis, quam narrat Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. 6. cap. 44.

CAP. XIIII.

An Baptismus quouis tempore & loco cum necessitas postulat sit administrandus.

DE Baptismo quouis loco ac tempore, cum postulat necessitas, administrando; sicuti eadem est ratio, ita idem iudicium. Quamuis enim gratia salutaris aquæ symbolo non sit alligata; Pastores tamen, Christi baptizare iubentis, præcepto sunt alligati; quod vinculum quisquis Geneuensis disciplinæ obtentu soluit, hominibus ac conseruis suis seruire, quàm Domino obedire mauult: is rem cum præceperit, tempus ac locum non præscripserit; pessimè Ecclesiæ consulunt ij, qui maiorẽ illarũ circumstantiarũ quàm ipsius substantiæ rationẽ habent, & hanc illis, non illas huic præposterè subijciunt.

ijciunt. Religioſiores ſcilicet ſunt iſtius diſciplinæ Zelotæ, Paulo, & Sila; quibus nec nocturnum tempus intempeſtiuum, nec ſordidus carcer locus parum honorificus, ad ſacri lauacri adminiſtrationem videbatur. (Act. 16. 33.) Quod publici eſt iuris, publicum negotium eſſe non deſinit, ne in ciuilibus quidem rebus, etiamſi priuatis in ædibus geratur. Ne ampliſſimus quidem cœtus illuſtriorem promiſſionem iactare poteſt eâ, quæ exſtat, Matth. 18. 20. *Vbi duo vel tres congregati fuerint, &c.* Illa verò non minùs exiguo numero, quàm Concilio Oecumenico competit: quod cum pridem monuerit Caluinus, (Inſt. l. 4. c. 9. §. 2.) mirum eſt ſanè, diſcipulos eius hodiè metuere, ne Sacramentorum dignitas ex loci, vel temporis ratione obſoleſcat. Quaſi verò cum ardentibus perſecutionum incendijs, pij in cryptis & hypogæis noctu conuenientes, de loci, aut temporis potiùs, quàm de rei dignitate ſolliciti fuiſſent; aut non ſingulæ Chriſtianorum domus eodem iure Eccleſiam poſſent colligere, quo illa, cuius meminit Paulus, Coloſſ. 4. 15. Qui clamitant, publicum noſtri in Eccleſiam ingreſſûs teſtimonium eſſe Baptiſmum, ideoque publicè adminiſtrandum; non cogitant, eandem fuiſſe rationem circumciſionis, quæ licet, extra templum facta, non propterea erat irrita. Excipiunt; circumciſionis notam carni impreſſam, perpetuum & aſpectabile fuiſſe fœderatorum σφράγισμα, quale nullum relinquitur in baptizatis. Verum enimuero Pagani quoque nonnulli fuerunt recutiti, idque de Colchis & Iberis apertè teſtatur Herodotus. Non ergo indubitatum ſemper fuit gratioſi fœderis ſignum aut ſigillum

lum, amputatum præputium, quod & aliam ob cauſam, puta ob enatum fortè ea in parte vlcus Chirurgi nouacula præcidi poteſt. Iniquiſſimũ profectò foret, ſi nemo deinceps nobis χριστὸς habendus eſſet Chriſtianus, niſi qui baptiſmi ſui teſtes ἀυτόπτας magno numero queat producere. Frigidum eſt quod nonnulli hic excipiunt, in Eccleſiæ primordijs, ipſáque eius generatione tolerabilia fuiſſe quædã, quæ poſt eius conſtitutionem ad cõcinniorem reuocanda fuerint ἐυταξίαν. Scilicet hoc demum vobis, ô fratres Scoti, εὔτακτον, quo moribundis infantibus partæ per Chriſtum redemptionis, obſignatio denegatur, & Sacramentorum ἐκφαυλισμὸς, non ſolùm in Anabaptiſtis, & Schuenfeldianis, ſed etiam in quamplurimis, qui noſtri gregis dici volunt, confirmatur, tandemque Epicuriſmo feneſtra, aut etiam ianua panditur.

CAP. XV.

De Baptizatorum Confirmatione.

DE baptizatorum confirmatione miror inſtitutam à veſtris vitilitigationem, cùm ipſe Caluinus ritum illum non modò puriori antiquitati probatum fuiſſe fateatur, ſed etiam probet ipſe, ac reſtitutum velit. (Inſtit. l. 4. c. 19. §. 4.) Id nempe vos vrit, quòd negotium hoc curet Epiſcopus; illi Paſtori, ex veſtra ſententia mandandum, qui confirmãdos antea baptizauit, & inſtituit, eò quòd non alius

alius eorum ordinarius ſit Paſtor. At enimuerò qui Epiſcoporum ordinem diuina inſtitutione niti dicerunt, ijdem Epiſcopum vniuſcuiuſque Eccleſiæ, ad ſuam diœceſin pertinentis, paſtorem ordinarium ἐξόχως dicendum eſſe norunt; Quippe cui ſingularis ſingularum cura ac ſollicitudo incumbat. Eius partes ſunt; vniuerſum ouile ſuum luſtrare, atque etiam ſingulas oues quoad eius fieri poteſt, noſcere & explorare; viciſſim ipſe noſcendus, omnique honore ac reuerentia proſequendus eſt ab iſtis. Proinde hoc confirmandi officium nemini alij rectius & conuenientius tribui poteſt; ſiquidem is hoc pacto, non modo ouium ſuarum, in fidei doctrina, captum ac profectum cognoſcat; verum etiam paſtorum, particularibus illis gregibus præpoſitorum, in illis paſcendis ſedulitatem & induſtriam perſpicit; vt ſi quis non eâ, quæ par eſt, fide ac ſtudio verſetur, eo remoto, ſuccenturietur alius Spartam hanc dil gentiùs ornaturus. Ne hoc quidem negari poteſt, hanc in obeundo toto ouili curam, à ſuperioris ordinis ac gradûs paſtore ſuſceptam, illis qui examini ſe ſiſtendos norunt, quibus Epiſcopus bene precatur, impoſitiſque manibus fidei & aliorum chariſmatum incrementa, & in gratioſo Dei fœdere perſeuerantiam, conceptis precibus expetit; non leue calcar addere, vt promiſſum Deo in Baptiſmo, per ſuſceptores, ac σωτήριος obſequium, ſe ratum & gratum habere, alacriùs teſtentur, perdiſcendiſque catecheticis fidei rudimentis incumbant ſtudioſiùs. Cæterùm poſtquam omnia, quæ veſtri demagogi, hac in parte

te arrodere consueuerunt, mecum perpendi, non aliam ob causam eos obstrigilare animaduerto, quàm quòd Episcopatus gradus, quem vos quantouis pretio sublatum cuperetis, etiam hac in parte suam ex germana antiquitate originẽ demõstrat: semper illa has partes Episcopo; nunquam presbytero, nisi de consensu Episcopi, mandauit. Prima mali labes, ac ἀρχὴ τοῦ λοιμοῦ Catharorum, est Episcoporum καθαίρεσις. Episcopum qui saluum vult, de Confirmationis ritu litem ei non mouebit, nec vanos horrebit strepitus, quos hic excitatis, quasi periculum sit ne in Papanum transeat sacramentum. Non migrabit sede sua hic ritus, quantisper sana, ac salua manebit fidei doctrina.

CAP. XVI.

De festorum dierum obseruatione.

POstremum superest Caput de festorum dierum obseruatione. Hic vestri turbones ad conflandam Anglicanæ Ecclesiæ inuidiã, omnem lolliginis suæ succum effundunt; vt illa vel Papismum, vel etiam Iudaismum refodere, fœdaque vtriusque cadaueris mephiti, Ecclesiam Christi infestare ac incestare, ab imperita plebecula existimetur. Igitur hoc quoque sedatis animis, complicatisque maledicentiæ velis, quid & quale sit expendamus. Primùm in confesso est, annuente Calvino (Instit. l. 2. c. 8. §. 32.) alios quoque dies festos, præter dominicum, sacris conuentibus solẽnes, rectè dici, modò ab-

absit superstitio. Hoc testimonio ingulatur vtraq; Zelotarum exceptio: 1. quòd solius Dei sit instituere dies festos: 2. quòd, cùm quarto præcepto sex dierum labor vel imperetur, vel permittatur; nefas sit vel quod imperat Deus vetare; vel quod permittit, Ecclesiæ eripere. At quemadmodum imperium illo præcepto significari, Caluinus, cuius vos nunquam defugietis auctoritatem, pernegat; ita permissionem Dei, Principibus suum circa res medias ius imminuere, nec Caluinus, nec quisquam sobrius dixerit. Num enim ob permissum hominibus dominium in volucres cœli, in pisces maris, & bestias agri; impiæ fuerint Leges Principum, quibus aucupij, piscationis, & venationis libertatem subditis alijs indulgent, alijs adimunt? Nonne in Geneuensi quoque Ecclesia, præter diem Dominicum, statis diebus habentur conciones, & preces publicæ, quibus à consuetis operis plebs auocatur, & modò antemeridianis, modò pomeridianis horis feriatur? Sed hoc quoque liquet; dies festos aliter olim à Iudæis, ac post à Papanis fuisse celebratos; aliter hodiè celebrari ab Anglis. Libera sunt apud hos, & per leges licita non pauca, quæ apud Pontificios piacula; apud Iudæos etiam capitalia erant. Non igitur apud nos seruile est hoc iugum onusque σαββάτων, quale fuit olim sub cultu Leuitico. Præterea numerus longè minor, quàm apud vtrosque. Natiuitatis, Circumcisionis, Paschalis, Ascensionis, Pentecostes, & alijs quibusdam diebus anniuersarijs, præcipuorum Redemptionis, per Christum nobis

bis partæ, beneficiorum memoriam recolendam esse, iudicauit Ecclesia Anglicana, idque non suo tantùm, sed totius Antiquitatis iudicio freta, euidentissimaque insuper ratione mota; vt videlicet plebi excusso, quo ea plerumque torpet, veterno, beneficiorum illorum sensus, ipsaque adeo historia, efficacius inculcaretur, altiusque infigeretur. Quotidie istud esse faciendum, oggerunt vestri. Ita est planè. Interim tamen fidi pastoris est cogitare, non modò quid fieri debeat, verumetiam quid fieri possit; quid humani ingenij, præsertim in rudi plebecula, capiat, feratque imbecillitas. Est præterea rerum à Christo in terris πολιτευσαμένῳ gestarum, tanta magnitudo ac dignitas, vt omnia simul & semel, vno eodemque die vel conuentu tradi & explicari non possint. Sunt quidem illa in Apostolorum, quod vocant, Symbolo comprehensa, & in compendium missa, quotidiéque tam à Pastoribus publicè, quàm à pueris priuatim recitantur: at non modò veteres, sed vos quoque nobiscum, catecheticas institutiones, non modò vtiliter, sed necessariò quoque cum Symbolo illo coniungi iudicastis, eò quòd neglectis istis exercitamentis ac fundamentis, nullus, vel perexiguus ex concionibus capiatur fructus. Num igitur integrum Caluini Catechismum quotidie totum apud plebem exponitis? Si in capita, vel segmenta tributum, aptiùs & vtiliùs tradi existimatis; nolite deinceps nobis, Christi beneficia, statis diebus, gregi nostro singulari cura ac studio meditanda, proponentibus, importunè obstrepere. Est autem frigida ac diluta vestrorum

ma-

magiſtrorum ratiuncula, cum argutantur, diem Dominicum, reſurrectionis Chriſti memoriæ dicatum, cum primigeniæ creationi reſpondeat ἀναλόγως; omnia Redemptionis beneficia complecti. Nam neque veteris Creationis beneficium, cuius memoria ſingulis Sabbathis celebrabatur, aliorum feſtorum, aut beneficiorum celebrationem excluſit olim; neque in adulta Noui Teſtamenti Eccleſia tam firma ac robuſta ſunt omnia eius membra, vt non ſemper longè maxima pars ex lactentibus adhuc conſtans, paulatim de his myſterijs ſit erudienda, per parteſque ac gradus indies prouehenda; ne ſacra doctrina ἀδρίως profuſa, minimeque ἀναλογικῶς ad rudiorum captum attemperata, reſpuatur potiùs, quàm adbibatur. De die quo Paſcha eſſet celebrandum, nimis acriter fixatos conſtat Orientales cum Occidentalibus; nec diſplicet, quod ex Socratis hiſtoria obijcere conſueſtis; puta, Apoſtolos non eadem cura, ac religione definijſſe hæc ritualia, qua definierunt dogmata. At ferendum non eſt, quòd, quæ Euſebius de Polycarpi ſuper hac re Epiſtolis narrat, infruniti Zelotæ mendacij inſimulant; & quaſi totidem Alexandri eſſent, nodos, quibus ſoluendis impares ſunt, audacter ſecant; quódque propter contentiones ea de re exortas, rem ipſam abolendam eſſe ſciſcunt, venerandoſque Antiquitatus canos, proiecto ſemel pudore, proteruè conſpuunt. Equidem vix compeſcat quis petulantiam ſplenis, dum palmarium illud veſtrorum doctorum expendit argumentum, qui pertendunt vel hinc liquere, ingratam eſſe Deo anniuerſariam Natiuitatis

Chriſti

Christi celebrationem quòd diem illum nobis reuelare noluerit. Quasi verò nos latere voluerit, quod eopse temporis puncto, quo contigit, pastoribus in agro excubantibus patefecit per vocale Angelorum præconium; Simeoni iusto, & Annæ Prophetissæ per Spiritus sancti instinctū; Sacerdotibus per Scripturæ oraculum; Magis per nouæ stellæ exortum; Herodi per Magorum testimonium. Quasi non potiùs vel hominum accusanda sit incuria, qui diem hunc in Ecclesiasticis monumentis annotare insuper habuerunt; vel temporum deflenda iniuria, quæ sæuientibus persecutionum incendijs non pauca Ecclesiasticæ antiquitatis κειμήλια nobis abstulit. Olim Ecclesia festum hoc celebrabat sexto die Ianuarij, qui alijs Epiphania, alijs Theophania dictus; postea die XXV. Decembris celebrari cœpit. Chrysostomus in homilia de die Natali, ait, nondum decem annos elapsos, quando eam concionem habebat, ex quo primùm is dies illi Ecclesiæ innotuerat. Ab eo tempore in VI. Ianuarij aduentum Magorum & Baptismum Christi incidisse plerique crediderunt. At enimuero, inquiunt vestri, iureiurando cautum fuit in Scotia, ne alij, præter Dominicum, dies posthac isthic essent ἑορτάσιμοι. Respondeo; temerariorum iuramentorum, sicut & superstitiosorum votorum laqueos malè necti, malè inijci conscientijs; iniectos rectiùs abrumpi & excuti, quàm adstringi. Sed neque silentio præterundum quod in ipsa Ecclesiæ vestræ Confessione habetur, vnam nempe eandemque Ecclesiasticam politiam omnibus locis, temporibusque minimè con-

conuenire: Ritus autem humanitus institutos, siquando Ecclesiæ ædificationi non sint commodi, posse ac debere immutari. Cæterùm longè tetrius est virus illud, quo nonnulli ex vestris Ecclesiam Anglicanam perfundere, & conspurcare ausi; quasi ea, ob retentas quasdam, Apostolorum & Angelorum nomina præferentes, festiuitates; dies illos creaturis, non creatori consecratos statuat: atque hic omnia amarulentissimæ calumniæ vela pandantur, vt Angli tanquam manifestarij idololatræ, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensi, apud omnes reformationis consecraneos traducantur. Est quidem insignita hæc iniuria, at oppidò puerilis κακοήθεια. Si creaturæ alicuius nomenclatura, idololatricam reddit festi diei celebrationem, quasi creaturæ illi, cuius nomen præfert, sit dicatus; quid obstat, quo minùs Moses aut etiam Deus ipse populo Israelitico idololatriæ fuerit auctor? Eius iussu celebrati dies Azymorum, Tabernaculorum, Primitiarum. Eiusdem κόμματα erant Encænia; dies Purim, siue sortium, à Mardochæo instituti, Estheræ edicto confirmati. Nemo tamen hactenus ita insaniuit, vt panibus, tabernaculis, frugibus, aut sortibus dies illos dicatos fuisse putarit. Excutiatur Liturgia Anglicana, precesque per illos dies recitari solitæ, vel ad Geneuensis disciplinæ libellam appendantur; nulla nostrorum antistitum idololatria; sed magna quorundam demagogorum vestrorum sycophantia deprehendetur. Non dissimulandus est hic desultorius Zelotarum andabatismus, dum Encænia modò à Zorobabele, Prophetica

auctoritate instituta; modò Phariſaicum inuentum fuiſſe hariolantur. Zorobabelem populi ducem à Prophetis ὀφθαλμοφανῶς diſtingui legimus, *Eſd.* 5. *verſ.* 2. Feſtum autem, quo de agimus, à Iuda Maccabæo, tanquam Principe, poſt recuperatam vrbem, ac repurgatum templum fuiſſe inſtitutum, ex Talmude docet copioſè Tremellius in cap. 10. *Ioh.* Feſtum Purim quoque alij à Mardochæo, tanquam Propheta, inſtitutum aſſerunt; alij diebus illis non feſtum aliquod celebratum, ſed hilaria agitata fuiſſe χαριζόντων. At Mardochæum Prophetam fuiſſe, dicunt, non docent Zelotæ: & cum eius tribum, genus, deportationem, & in educanda nepti curam, ac diligentiam, aliaque minutiora tam prolixè exponat Scriptura, *Cap.* 2. *ver.* 5. quis non miretur, prætermiſſum, quod erat præcipuum? Quod Prophetica auctoritate fit, Regiam non deſiderat: quorſum igitur acceſſit illa Eſtheræ reginæ ἐπικύρωσις, ad lumen Soli fœnerandum ſcilicet? Libri illius ſcriptorem fuiſſe Mardochæum; qua facilitate adfirmatur, eadem negatur ab illis, qui eum vel Eſdræ, vel Ioachimo Pontifici, vel viris magnæ Synagogæ tribuunt. Porro feſtos dies hilariter celebratos fuiſſe, nemo neſcit: ſed nec hilaritas feſtiuitatem, nec feſtiuitas religionem ſiue religioſam beneficij diuini celebrationem excludebat: pueriliter & ineptè opponuntur, quæ rectiùs componuntur, & ſubordinantur, niſi quis putet, Iudæos non Deo, ſed Cereri tantùm & Baccho per illos dies litare conſueuiſſe. Sic enim à Baccho,

qui

qui σαββάζιος dicitur, Iudæorum Sabbatha dicta coniectat Plutarchus (in Sympoſiacis.)

CAP. XVII.

Peroratio.

HAbetis, fratres Scoti, mutatæ à me ſententiæ rationes, violatique à turbulentis ingenijs, Eccleſiaſtici regiminis vindicias. Conſtantiam in me qui requirit, is eam in veritatis defenſione præſtandam; pertinaciam verò cum errore, ſimulac vanitas eius innotuit, abijciendam eſſe meminerit. χρεῖττον παλινδρομεῖν ἢ κακῶς δραμεῖν. Non eſt indecora aut turpis hæc palinodia; ſed generoſa, omnique laude digna παῤῥησία, qua magni Veri maieſtas aſſeritur, & in tuto collocatur. Vt ſalubrius, ſic & glorioſius eſt, à Veritate vinci, quàm vanitatis telo, quod ſemper imbelle, ſine ictu; veritatis vmbonem adpetere. Obtegi poteſt hic Sol, & ab incubantibus nebulis obſcurari; obteri & extingui non poteſt. Equidem nihil de Caluini, Bezæ, & aliorum Theologorum, qui forticer pro Eccleſia Dei aduerſus communem hoſtem prælia-ti, magnum nomen ſibi pepererunt, laude detra-ctum volo: Hoc tantũ vos monitos volo, eam, quæ alios complures in errorem impulit, ἀμετρίαν τῆς ἐνδολχῆς, immoderatum omnia in contrarium tra-hendi ſtudium, etiam illorum oculis glaucomam obduxiſſe, vt Eccleſiam ritè emendari, & in inte-grum reſtitui poſſe haud putarent, niſi totam eius-

faciem

faciem, quem sanctissimorum Episcoporum, & Christi martyrum monumenta nobis spectandam exhibent; vna litura inductam delerent nouamque ac priscis seculis inauditam, nulli ex antiquis Patribus notam; ex suo ingenio effingerent, suo penicillo exprimerent, sublatisque Euangelici ministerij diuersis gradibus, veterem politiam non tam reformarent, quàm deformarent ac penitus pessundatam abolerent. Intuemini mecum paulisper proximos illos Apostolorum successores, viros Apostolicos olim dictos; Polycarpum, Ignatium, Irenæum; nec non Cyprianum; ac deinde paulo remotiores, Basilium, vtrumque Gregorium, Nazianzenum, & Nyssenum; Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, aliosque huius notæ Episcopos, tanquam capitis reos, & occupatæ in Ecclesia tyrannidis postulatos, ad Geneuense tribunal sisti; in illo laicorum Seniorum Areopago vnam moueri, missisque in suffragia egregijs istis Quiritibus, lanijs, inquam, & cerdonibus, psephisma fieri, eximios illos, quos commemorauí proceres, non Dei seruos, non Ecclesiæ Pastores; sed tubera ac strumas in mystico Christi corpore fuisse, Geneuensi nouacula recidendas; æqualitatis, quam inter verbi Ministros esse decet, inimicos; libertatis oppressores; Antichristi non tantùm præcursores, sed etiam progenitores. Impius olim iuuenis coram Tiberio Vibium Serenum patrem suum ab exilio retractum, illuuie ac squallore obsitum, maiestatis arcessens, torno intuitu patris, vinculorúq; quæ, causá dicens,

qua-

quaticbat, ſtrepitu ita exterritus, ac conſternatus fuit, vt omiſſa accuſatione aufugerit (*Tac. Annal. lib.* 4.) Mirum profectò tali tantorum heroum reatu, nihil obſtupefactum Bezam, conſtitutum à Geneuenſi prætore vadimonium obire, quàm deſerere maluiſſe; cauſaque peroratâ, illos humani Epiſcopatus conditores; Satanici obſtetrices pronuntiaſſe. Quid autem viris illis Apoſtolicis animi fore putatis, ſi in vitam mortalem reduces, intuerentur exſangue illud; μονόγεμμον ac planè ἄλλοκοτον Eccleſiæ, Allobrogicâ & ſemilacera lacerna malè tectæ, corpus, aut potiùs ſimulachrum σκελετῶδες; equidem quouis ſacramento contendere auſim, maiorem ſenſuros dolorem, quàm ſi Apelles Venerem ſuam ἀναδυομένην, aut Protogenes Ialyſum ſuum cœno oblitum, ac ſputis fœdatum adſpicerent. Dicerent hoc vnum egiſſe Geneuenſes, vt pulcherrima illa ab ipſis Apoſtolis conſtituta politia, cum Auguſti Aiace in ſpongiam incumberet. Quantò ſatius fuerat, veterum illorum, qui quò propiùs ab Apoſtolorum temporibus, longiùſque à ſequentium ſeculorum corruptelis abfuerunt, eò ſanctiùs ac religioſiùs aruum dominicum excoluerunt, iudicio aliquid tribuere, quàm omnia ab illis inſtituta tanto faſtu, ac ſupercilio cõtemnere? Saltem extrema illius Politiæ lineamenta ſeruaſſent, & quæ vetuſtate obſoleuerant, aſperſis ijſdem, qui olim fuerant, coloribus, renouaſſent; non autem omnia penitus deleſſent, Thracium illum ruſticum, vites non putantem, ſed ſtirpitus euellentem imitati; qua ratione, quæ abuſu aliquo contaminata erant, non repurgarunt, ſed effuſo cum fe-

cibus vino, cum amurca oleo, abiectoq; cum scoria argento, rem perdiderunt, totumque Ecclesiasticæ politiæ patrimonium decoxerunt. Morositas & ἀυθάδεια istorum zelotarum obstitit, quo minus reformationis negotiũ æque feliciter in Gallia, ac in Anglia & Germania succesſerit, dum illi priscæ Ecclesiæ ritus, etsi superstitionibus quibusdam inquinatos, permiscent confunduntq; cum illis, quæ manifestam habebãt impietatem, ac prorsus erant immedicabilia: quo pacto omne discrimen sustulerunt inter iustas ac necessarias secessionis nostræ ab Ecclesia Romana causas; & adiaphora illa, propter quæ nemo veritatis ac pacis studiosus, scissuram hanc facere aut suadere sustinuisset. Signum crucis, (quo ab omni æuo, tanquam Christianismi quadam tessera, adspectabilique quodam symbolo vsi fuerant pij; ex sacramentorum celebratione proscriptam, suspicionem mouit imperitis, ipsi Christianismo bellum indici à nouis illis Harmostis. Varios & multiplices circa illud signum abusus nõ ignorarũt Reformatores Ecclesiæ Anglicanæ; sed abusum ab vsu distinxerunt. Norunt miseros idololatras ipso Dei verbo, sacra Scriptura, oratione dominica, in battologicum quoddam carmen conuersã, abusos; sacramenta quoque Baptismi & Eucharistiæ, adspersis sordibus inquinasse; non tamen eam ob causam ista omnia è domo Dei, tanquam mera retrimenta esse euerrenda. Scæui, sæuiq; sunt medici qui omnia in quouis morbo μιάσματα aspernantes, sectionibus tantum & vsturis vtuntur. In Sacrorum celebratione vestes sericæ, auro intextæ, acu pictæ, Catharis sunt Papismi

mi γνωρίματα, vel saltem ἐρείπια, nempe quia res medias ab ijs, quæ natura sua mala sunt, discernere aut nequeunt, aut nolunt. Quæ sub cruce gemunt Ecclesiæ, & à Tyrãnis oppressæ exhaustæque vix alendis pastoribus & pauperibus sufficiunt, præposterè profectò ac prorsus stultè agerent, si non minùs studiosè ornamenta illa, quàm necessaria vitæ subsidia pararent. At quæ beata pace fruentes, omnibusque copijs circumfluentes sub religiosi, & munifici Principis vmbra suauiter quiescunt, qualis vniuersæ iam Britanniæ, eximio Dei munere concessus Rex Iacobus I. omnium quos Sol adspicit, atque à multis retro seculis adspexit, Regum religiosissimus, sapientissimus, munificentissimus; omnibus deniq; tum naturæ, tum gratiæ consertis inter se, atq; exaggeratis dotibus ornatissimus: tales, inquam, Ecclesiæ, sicuti ædes sacras altiùs struere; ita & decentius instruere si cupiant; nulla id vetat religio: neq; verò pius Ecclesiæque nutricius Princeps, cedrinam cum Dauide domum sibi habens, habitansq;, regioq; paratu omnia circum se splẽdere cernens; arcam Dei à sordidatis ac pannosis Ministris tractari, æquo animo ferre potest; licet non ignoret, Regnum Dei non magis in pretiosa veste, quàm in esca aut potu situm esse. Quis nescit aliam in Ægypto, ac deinde in deserto, aliam in Cananitide sub Salomonis regno, fuisse externam Ecclesiæ faciem? Quod superstitiosis olim ritibus fuit pollutum, non minùs rectè pijs vsibus dicari potest, quàm Ægyptiorum aurea & argentea supellex in sacri Tabernaculi instrumentum fuit conuersa. Quomodo Christum honoraturi fue-

rint Pilatus, Herodes, alijq; ſeculi principes, ſi dominum gloriæ agnouiſſent, vel hinc conijcere eſt, quòd Tiberius, de rebus Chriſti; ſiue à Prouinciæ præſidibus edoctus, ſiue aliqua crebreſcentis de eo famæ aura adflatus, de ipſo in Deorum numerum referendo cum Senatu egit, vt teſtatur Tertullianus (Apolog. cap. 5.) Cur autem ab omni ſplendore & ſeculi pompa abhorreret Chriſtus, non hæc ſolùm cauſa fuit, quòd ſpirituale regnum conditurus, venerat; verùm etiam vt affectati à ſe regni terreni ſuſpiciones vitaret, & calumnias dilueret; tralatitiúmq; illum, de regno Meſſiæ in diſcipulorum quoque ſuorum pulmonibus hærentem errorem maturè elideret & aduruncaret; tametſi non ſolùm effuſi nardi odorem, ſed etiam acclamationes ac plauſus, totumq; illum turbæ in occurſum effuſæ, cum vrbem ingrederetur, honorem ſibi delatum, gratum ratúmque habuerit: Iſta qui vel præiudicio, vel liuore excæcati, non cernunt; nec quantum inter Pharaones & Salomones, inter Diocletianos & Conſtantinos, diſcrimen ſit, attendunt; in Epiſcoporum comitatum, & quas pierum Principum munificentia ipſis contulit, opes ac dignitates, popularibus & tribunitijs concionibus inuehuntur, atque vt muſcæ

Labuntur nitidis, ſcabriſque tenacius hærent.

omnia quærundam Epiſcoporum, qui ſacris opibus ad luxum abuſi, in ſacro munere parum ſanctè verſati ſunt, μεσοκτήματα, aliáq; flagitia ſtudiosè congerunt, populíque auribus ingerunt; quaſi qui Epiſcopalem gradum tuentur, ijdem Epiſ-

co-

coporum vitijs patrocinentur; nec quicquam interſit inter Ægyptiorum vlcera & eorundem ſpolia, ad Dei cultum tranſlata. Vitia erunt, donec homines: ab illis Miniſtri Geneuenſes non magis, quàm Epiſcopi Anglicani immunes. Nemo horum in ea fuit ſententia, vt opes ac honores cũ Epiſcopatu neceſſario nexu cohærere exiſtimaret. Noſtri dicunt res medias eſſe, quales pleræq; ſunt ceremonię, quib° Cathari veſtri tãta animorũ obſtinatione ac peruicacia obluctantur. Vos non medias, ſed nullas eſſe vultis; aut ſaltẽ ex cuiuſlibet priuati arbitrio, prout vi ioſa libido fecerit auſpicium, vel vſurpandas, vel impunè calcandas. Quaſi verò rerum mediarum vſus promiſcuæ priuatorum petulantiæ ſit proſtituendus, non autem Chriſtianorum Principum prudentia & auctoritate circumſcribendus; nec eadem horum in eiuſmodi rebus ſit poteſtas, quæ fuit olim Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Ioſiæ, aliorumq; in conſtituenda Iſraeliticæ Eccleſiæ ἐυταξίᾳ, Principum: aut Chriſtus cæleſte regnum illis largitus, terreni regni iura vlla ex parte imminuerit ac labefactarit; grauiuſque ferat hodie, pientiſſimum Regem Iacobum, Britannicæ vt Reipublicæ, ſic & Eccleſiæ Caput appellari, quàm id olim tulit, cum impius ille Saul omnium Iſraëlis tribuum, (extra quas illius æui Eccleſiam qui quærit, nauiget Anticyras:) Caput, ab ipſo Samuele indigitaretur. 1. *Sam.* 15. *v.* 17. In populo regnoque cuius Reges Chriſto nomen dederunt, vnus idemque eſt Reipublicæ & Eccleſiæ finis ac ſcopus, ſempiterna videlicet beatitudo. Non poteſt autem ſtare, ac ſalua eſſe Reſpublica,

ſiue

siue ea sit Christiana, siue à Christo extranea; nisi τὸ κράτος, τὸ κῦρος, id est, suprema potestas numero sit vna: quæ penes Principem cum sit, cui dubium esse potest, quin ille, à Deo, cuius imaginem, viceſque in terris gerit, vtriusque legis tabulæ custodem ac vindicem se constitutum gnarus; potestatem habeat, externum illud Ecclesiæ regimen moderandi; non sanè vt in verbo & fidei norma quicquam mutet, aut ipsemet Ecclesiam verbo & sacramentis pascat; sed vt ab idoneis & legitimis Ministris pascendam curet, caueatque, ne vel ab hæreticorum veneno, vel à schismaticorum factione ac petulantia aliquid detrimenti capiat. Olim pij etiam Ethnicum Principem, ex Tertulliani, imò totius Ecclesiæ sententia, colebant vt hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem: quis igitur furor, quodnam hoc πάρεργον, subditos Christi doctrinam amplexos, Principi, pietate, sapientia, ac doctrina tantum alios Principes supergresso, quantum alij Principes potentia & magnitudine antecellunt priuatos; in rebus, ex sua ipsorum sententia, medijs; nullamque fidei partem attingentibus, nedum labefactantibus, obsequium denegare, Ecclesiam scindere, Rempublicam turbare, quamuis denique Camarinam mouere malle, quàm intra legitimi officij cancellos ac septa quiescere. Nimirum est hoc ægri proprium, nihil diu pati, & mutationibus pro remedijs vti. Verùm atra, quæ vos agitat, bilis quietem poscit, quæ si vehementiore motu ac discursatione incandescat, exitium adferet. In magno corporis cruciatu vnum hoc est solatium, quod necesse

ceſſe eſt, deſinat ſentire æger, ſi nimis ſentit; aut enim extinguit dolor, aut extinguitur: verùm animi ille, qui vos concutit morbus, tantò eſt periculoſior, quantò minùs ſentitur: Non intelligitis nimia iſta altercandi libidine, cum veritate charitatem quoque amitti. Cum inferiore certare inglorium, imò ſordidum eſt; cum æquali, anceps: cum ſuperiore, furioſum. Quid igitur erit, cum ſupremo ſuo Principe, de rebus medijs & indifferentibus contentionis funem trahere? Sunt quidem pleraque illa, de quibus lis feruet, adiaphora: obſequium verò quod in his talibus Regi debetur, non adiaphoris, ſed prorſus neceſſarijs eſt annumerandum. Ne cum æqualibus quidem huius rixæ ferram tamdiu per eandem lineam reciprocaſſetis, ſi Apoſtolicum illud monitum mentibus veſtris infixum obuerſaretur: *Si alij alios mordetis & deuoratis, videte ne viciſſim ab alijs conſumamini:* (Gal. 5. 15.) Excutite tandem inſanum hunc zelum, quo ſiderata pectora, diuina, humanaque monita reſpuunt. Cogitate Sereniſſimum Regem non modò μακρόθυμον eſſe, ſed etiam μακρόχειρα, ac periculum eſſe, ne demagogos veſtros ignem hunc procacis linguæ calamique gladio fodientes, vltore illo, quo Deus ipſum accinxit gladio compeſcere, ſicuti poteſt, ita etiam, conſumptâ patientiâ, velit. Deſinite συμμαχεῖν, imò & διαμαχεῖν. Nolite tumultuum aduerſus Regem impuberem, & in cunis adhuc vagientem olim à patribus veſtris excitatorum, memoriam renouare, adiectaque recenti contumacia, lutum luto purgare, ſed promptiſſimis potiùs erga maturum æui, & iam canescentem, obſequijs fædam illam maculam eluite. Deſinite

ſinite ciuium & fratrum veſtrorum quietem ſollicitare, nefariaſque ac Sinonias Ieſuitarum, obedientiam Principibus negantium, artes ac molitiones in Eccleſias, reformationem profeſſas, traducere. Deſinite hanc Euangelicæ doctrinæ ſtellis nebulam ſpargere candidis; ſinite τὸ φῶς ἐν τῇ Σκοτίᾳ φαίνειν: & quæ de obedientia Principi debita, populo præcepta traditis, exemplo veſtro ſancite; alioqui ex ambone verba non facere, ſed dare videbimini. Denique paræneticon hoc collyrium, non à medica magis, quàm amica manu vobis adhibitum, candidis, & à turbido affectu vacuis animis accipite. Sicubi id oculos pupugit; cogitate, Tobiam non niſi illiti fellis acrimonia & mordacitate viſum recepiſſe. Medicorum filij πικρὰν πικροῖς κλύζουσι φαρμάκοις χολήν. Funeſtus dulcis lactis hauſtus, ſopiti Siſeræ oculos ferreo clauſit ſomno. Erit hoc ſi velitis, ſalubre languoris veſtri remedium; erit, etiamſi nolitis, publicum mei erga vos amoris teſtimonium.

FINIS.